†

Pietas Quotidiana
erga
Divinissimum humani
Generis Redemptorem
Fidei Authorem Salutis
Consummatorem.
Jesum Crucifixum.
ad impetrandam Gratiam
bene pieque vivendi, et
Sancte moriendi ultimo fine.
Omnium piarum animarum
Usui accommodata.

In Domo Probationis
Soc. Jesu Viennae ad
S. Annam edita, nunc cum
figuris aeneis denuo im-
pressa et aucta. Cum facul-
tate Superiorum. Lingae
Sumptibus Wilhelmi Hansten
Anno 1734.

Eremi Montij
Regii ad Varsa-
viam adjacentij
[illegible]

PLURIMUM REVERENDO
ILLUSTRI
AC
GENEROSO
DOMINO DOMINO
FRANCISCO
JOSEPHO
de HANDEL,
De Leiblachſperg & Herrfarz, Domino in Zirtheim,
SS. Theologiæ Licentiato & SS. Can. Candidato Inſignis Eccleſiæ Collegiatæ ad S. Mauritium Canonico & Parocho,
Reverendiſſimi ac Sereniſſimi Principis & Epiſcopi Auguſtani Conſiliario Eccleſiaſtico, Sacellano Aulico & Pœnitentiario Majori, nec non per Sueviam & Allgojam Viſitatori & librorum Cenſori
Domino Domino ac [illegible] ſuo perquam gratioſo, &c.

)(3 P

PLURIMUM REVERENDE
ILLUSTRIS
AC
PERQUAM GRATIOSE
DOMINE DOMINE. &c.

OFfero tibi, in modico iſtoc Libello Magnum *Vitæ Librum, intus & foris ſcriptum* Characteribus Doloris & Amoris: cujus ſigilla Agnus ille Apocalypticus reclusit tunc, cùm tot vulneribus ſuum corpus ipsûmque adeò

cor

cor diviniſſimum aperuit. *Librum Vitæ*, inquam, quia Artem bene vivendi docet: *Librum Vitæ*, quia Artem benè moriendi complectitur. Et nemo erit, opinor, omnium, qui miretur, Tuo potiſſimùm Nomini cur eum inſcriptum voluerim. Ex cujus enim potius manibus Medicinam vitæ & ſalutis in publicum prodire æquum eſt, quàm *Pœnitentiarii*? cujus authoritate fixus in cruce Amor amori omnium commendetur magis, quàm ejus, cujus munus eſt, pretioſis Servatoris vulneribus animorum vulnera ſanare? Equidem ſuopte pretio ſe ſatis effert *Liber Vitæ*: ſed nimirum Moſe tamen aliquo opus eſt, qui intento digito languentibus oſtendat *Serpentem ſalutiferum.* Opus *Joſue* aliquo, qui hoc *ſcutum* ſublime efferat eò usque, dum non urbs aliqua Hai, verùm *Poniropolis*, & vitiorum magna civitas devaſtetur funditùs. Utriusque munus Tu, quàm qui maximè, implere potes, &, certus ſum, voles etiam. Notus enim Zelus Tuus, notus in JESUM cruci

 affi-

affixum amor. Quin audeo dicere, necessarius & inevitabilis Tibi est ille. Quod enim alii ex virtutis præscripto agunt, Tu ex *Officio*. Quippe dum *Pœnitentiarium* agis, fieri non potest, quin ames *Crucifixum*, dum devios mortales adducis *Crucifixo*. Unum hactenus attuli titulum, cùm plures suppetant: sed parco modestiæ Tuæ. Taceo præclara Doctrinæ & virtutum decora, quæ omnes in Te meritò suspiciunt, taceo claritatem generis, Majorumque splendorem: vereor enim, ut istæc commemorari de Te feras in ejus Libri fronte, in quo DEI Filius, ut *opprobrium hominum, & abjectio plebis*, considerandus proponitur. Aliàs verò suâ sponte ad Te Liber properat, nempe ad *Serenissimi Consiliarium* volumen *Magni Consilii*, ad *Librorum Censorem Liber Vitæ* ab iniqua olim Judæorum censura *condemnatus*, ad *Canonicum* Liber, si ullus usquam, *Canonicus*, ad *Visitatorem* ille, qui *nos visitavit oriens ex alto.* Tot invitatus titulis non potuit non ad Tuum convolare sinum hic Libellus, probè gna-

rus,

rus, quod emortuis characteribus suis in paginis continet, vivis amoris notis Tuo cordi inscriptum esse, Amorem nempe erga JESUM cruci affixum: quem Tu lucutentiorem utique, omnibúsque manifestum facies, si ejusdem Libelli usum Tu fervore promoveas, Tuâ auctoritate commendes, méque tanquam *unum ex minimis*, Tuis favoribus, uti fecisti jam liberalissimè, deinceps quoque cumulare digneris.

PLURIMUM REVERENDÆ
ILLUSTRI
AC
PERQUAM GRATIOSÆ
DOMINATIONI TUÆ

Servum ex asse devotum
Wilhelmum Hausen.

Ad Lectorem.

BEne vivere & sanctè mori, negotium est negotiorum omnium maximum. Hoc porro unum est necessarium. Non tamen id impetrabis certiùs & faciliùs, quàm per ardentissimum amorem, & quotidianum cultum ac venerationem JESV crucifixi. Si dubius hæres: audi proprium Incarnatæ veritatis oraculum. Amen, Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. *Cultum aliorum Sanctorum laudo probóque, & magnopere commendo. Cultum tamen & venerationem quotidianam JESV crucifixi, omnibus omnino aliis pietatis exercitiis longè antepono. Illi enim sunt Cœlestis Aulæ Ministri. Hic Sanctus Sanctorum est; imò & ipsa Sanctitas Incarnata: Illi Patronos agere, bonam mortem nobis possunt petere, Iste petita potest concedere, quia illi potestas omnis data est in cœlo & in terra. Stellas, Sanctos nempe decet colere, Solem ipsum, JESVM crucifixum, Regem & Coronam Sanctorum omnium oportet adorare. Hoc exigit infinita JESV*

crucifixi dignitas, hoc requirit, immensa illa, & usque ad ultimam sanguinis guttam, nobis impensa charitas, hoc suadet gratitudo debita & propria nostra utilitas. Libellum igitur (salvô tamen in omnibus Decretô SS. D. N. D. Papæ Urbani VIII.) Lector benevole tibi offero, mole quidem exiguum, sed admodùm fructuosum Thesaurum hîc invenies absconditum, si quotidiano usu eundem tibi reddideris familiarem. Hôc igitur utere; Instar apis sedulæ, huc advola, de vulnere transi in vulnus cum Ludovico Blosio, & mella collige. Adesto, & unà simul gustemus, quàm suavis sit Dominus, DEUS salutaris noster. Properemus etiam quotidie ad JESUM crucifixum, ad fontem vitæ, ad fontem gratiæ, & salutis, & tum historias Sanctorum hîc relatas legendo, tum preces singulis diebus destinatas orando, tum pias Patrum sententias ruminando, hauriamus aquas de vulneribus Christi, de fontibus Salvatoris, aquas salientes in vitam æternam. Hoc si feceris, certè augurari potero; non gustabis malam mortem in æternum; sed mors tua, erit mors Sanctorum, mors tua temporalis, erit felix transitus ad vitam æternam. Id tibi, sibique precatur unicè, qui est

JESU Crucifixo

Devotissimus
I. JA.

Bericht

Bericht an den Buchbinder.

1. Januarii, S. Pius V.
1. Februarii, S. Benedictus.
1. Martii, S. Thomas Aquin.
1. April. S. Catharina Sen.
1. Maji, S. Bernardus.
1. Junii, S. Theresia.
1. Julii, S. Ignatius.
1. Augusti, S. Augustinus.
1. Septemb. S. Franciscus Seraphicus.
1. Octob. S. Bruno.
1. Novemb. S. Carolus Borromæus.
1. Decemb. S. Franciscus Xaverius.

1. JANU-

S. Fulgentius, Ruſpenſis Epiſcopus, tenerrimè addictus erat JESU crucifixo: portabat nomen JESU coram gentibus, & Regibus, pro quo contumelias & opprobria, exilium lætus tulit, & verbera: cum JESU Crucifixo pro inimicis orabat; ſanctè obiit Calendis Januariis ſexagenario major; ſæpiùs inter graves 40. dierum dolores id unum ſuſpirans: *Domine JESU! da mihi patientiam, poſtea indulgentiam. Iſidor.* Sic luceat lux veſtra, & fulgebitis quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.

Sancte Fulgenti, Eccleſiæ Antiſtes digniſſime, aſſiſte mihi annum hunc incipienti, & aliquando morienti. Et Tu cumprimis - - O piiſſima Virgo, &c. *vid. infra.*

Ad quod impetrandum, hodie cor meum in Xenium JESU Chriſto offeram, illúdque affigam ad pedes Crúcifixi.

Humiliavit ſemetipſum factus obediens usque ad mortem, mortem autem *Crucis.*

Q. quale fuerit nomen Crucifixo DEI filio proprium? ℟. nomen illi proprium erat JESUS.

Formula quotidie dicenda.

O Piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præſertim hodierni, & diei mortis meæ, & Vos, ô beatæ in cœlis animæ, quondam JESU Crucifixo peculiariter devotæ, Vos ego, per ardentiſſi-

tiſſimum veſtrum erga JESUM Crucifixum amorem oro, & obteſtor; impetrate mihi verum omnis omnino peccati horrorem, ſincerum Crucifixi JESU amorem, vitam verè DEO placentem, mortem ſanctam, & beatam æternitatem.

Ad te verò Domine JESU Chriſte, Fili DEI vivi, DEUS cordis mei! ad te clamo, & ſuſpiro, indigniſſimus famulus tuus, pro quo non dubitâſti manibus tradi nocentium, & crucis ſubire tormentum: A tua immenſa bonitate, & clementia, per ſanctiſſima illa quinque vulnera, quæ tibi in Cruce noſtri amor inflixit, per acerbiſſimos dolores tuos, per ſanctiſſimam paſſionem, & mortem tuam, & præſertim per amaritudinem illam, quam ſuſtinuiſti in Cruce, dum benedicta anima tua de ſanctiſſimo corpore tuo egrediebatur, peto ſupplициter: miſerere in egreſſu ſuo, afflictæ animæ meæ, quam pretioſo ſanguine redemiſti; Dic Patri tuo pro mē moriente: *Pater dimitte illi.* Dic Matri tuæ: *Ecce filius tuus.* Dic animæ meæ: *Hodie mecum eris in paradiſo.* DEUS DEUS meus ne derelinquas me! ſitio ad te fontem ſalutis. Conſummatur tempus vitæ meæ: Da mihi, illud unicum, & ſummè neceſſarium, piè curſum conſummare, bene mori, & requieſcere in pace. In manus tuas commendo ſpiritum meum, qui es ſalus, vita, & reſurrectio noſtra, per quem ſalvati, & liberati ſumus; cui ſit laus, honor, & gratiarum actio, per infinita ſæcula, Amen.

B. Stephana Soncinas, ex Ordine Prædicatorum, ùt MARIÆ, ita JESU Crucifixo à teneris devotissima, quoties meditabatur de excessu amoris, quem Christus moriens explevit in Jerusalem, toties non guttas, sed rivulos fudit lacrymarum. Vulnerum suorum stigmata, & coronæ spineæ signa, eidem impressit Dominus, quin & ipse brachia sua resolvit de Cruce, & suavissimum Sanctæ huic Virgini dedit amplexum. *Lopez.* Amor Crucifixi, mutui est incentivum amoris.

Commenda me nunc, & in hora mortis meæ, JESU tuo Crucifixo, B. V. Stephana, ut piè semper vivam, & in, & ex amore JESU Christi, in osculo sancto pacis sanctè moriar. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti & Sanctæ DEI, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, singulis per annum diebus aliquem è Cœlitibus peculiarem JESU Crucifixi cultorem invocabo.

Vide, si aliquid est in Crucifixo, quod non peroret pro te apud Patrem. *Pet. Dam. Ser. 1. de exalt. S. Crucis.*

Q. Cur Christus crucifigi voluerit extra urbem Jerusalem? ℟. Partim ut Judæi minùs celare possent hoc sacrificium salutare, partim ne quis putet illud tantùm pro ejusdem urbis incolis esse oblatum. *S. Chrys. Tho.*

S. Genoveva, adhuc puella, ut Crucifixo electo sponso suo integram, & voto firmatam servaret Virginitatem, à S. Germano numisma Cruce signatum, & prodigiosè è Cœlis allatum accepit, colloque suspensum semper gestare est jussa, ut per hanc Crucem, Crucifixi amoris sui JESU Christi, fidelis sponsa semper meminisset. *Ex vita* Quàm dulcis tua, ô JESU, memoria!

Ora pro me, S. Genoveva, fidelis JESU sponsa, Crucis Christi cupidissima; Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, & diei mortis meæ, &c *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, optabo, ut quantùm omnes alij collectivè, tantùm ego solus possem colere, & amare JESUM Crucifixum.

Scribe Domine vulnera tua in corde meo, pretioso sanguine tuo, ut legam in eis amorem tuum, ad contemnendum pro te omnem amorem; dolorem tuum, ad sustinendum pro te omnem dolorem. *S. Aug.*

Q. Cur crucifigi Christus voluerit prope Hierosolymam? ℟. quia Jerusalem erat locus à DEO electus ad sacrificia sibi offerenda, quæ Christi passionem, utpote verum sacrificium præfigurabant. *S. Tho.*

B. Angela de Fulginio, visâ quacunque Christi Crucifixi effigie, ob intensum, & intimum cordis dolorem animo deficiebat: Hanc ut pendulus è Cruce Dominus instrueret, sic est affatus: *Perpende, Filia, passionem meam universam, & attende, an in me aliud invenias, quàm verum amorem.* Moriens Sancta hæc Virgo filiabus suis reliquit pro hæreditate, JESU Crucifixi paupertatem, dolores, & contemptum. *Bollandus.* Hæc est illa hæreditas Filiorum DEI.

Imprime cordi meo, ô B. Angela, sincerum erga JESUM, amantis & compatientis affectum, ut quæ patienda eveniunt, amore ejus hilariter patiar, qui amore mei tot & tanta passus est in Cruce. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe; Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, aliquam hodie corporis mortificationem suscipiam in contestationem piæ erga Christum compassionis.

Cujus saxeum pectus non emolliant vulnera Salvatoris. *S. Laur. Just. de cast. con. c.* 8.

Q. Cur Christus in Regione Palestinæ pati voluerit? ℟. Ideo in Palestina, quæ dicitur esse in medio terræ habitabilis, voluit pati, quia virtus passionis per totum mundum erat diffundenda. *S. Tho.*

S. Eduardus, memor Coronæ spineæ, aureâ coronari renuit; Crucifixum JESUM & amabat ùt amicum intimum, & consulebat in expediendis Regni sui negotijs. Profectus in Syriam, Crucem coccineam in veste portabat. Londini ægrum pauperem humeris suis ad S. Petri Ecclesiam Crucis loco bajulabat. Inter Missarum solemnia Christus ipse, formato S. Crucis signo eidem benedixit. *Surius.* Felix Respublica, ubi in consilium vocatur JESUS Crucifixus.

Ut gratiâ suâ, & omni benedictione cœlesti me repleat JESUS Crucifixus, impetra mihi S. Rex Eduarde; Et tu cumprimis - - O pissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, &c *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, nullum hodie negotium auspicabor, nisi Crucifixum in auxilium invocavero.

Benedictio Domini, & omnes cœlestes gratiæ super vos veniant, ô amatores Crucis meæ, ô pii cultores passionis meæ, qui magìs dolores, & passionis meæ diligitis instrumenta, quàm omnes mundi honores, & carnis oblectamenta. Ita *Christus de Cruce ad B. Angelam.*

Q. Cur Christus crucifigi voluerit in loco adeò celebri? ℟. Quia ad summam Christi humilitatem pertinuit, ut sicut turpissimum genus mortis elegit, ita etiam in loco tam celebri confusionem pati non recusaret.

S. Andreas Corsinus, sæpè JESUM Crucifixum quasi præsentem magno pietatis affectu alloquebatur; Ejus imitandi studiô, vitam omnem, etiam ùt Episcopus, vixit solitò asperiorem. Feriâ sextâ semper jejunabat strictissimè; post mortem, quam B. Virgo eidem prædixerat, cœlum conscendere est visus. *Surius.* Qui sincerè amat JESUM in cruce morientem, malè mori non potest.

Merita tua apud JESUM interpone, magne Crucifixi cultor, B. Andrea, ut cum illo, & tecum æternùm vivere, & congaudere merear in cœlis; Et Tu cumprimis- -O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, cum tribus SS. Regibus hodie triplex munus, memoriam nempe, intellectum, & voluntatem, vel tria vota (si his obstrictus sis) offeram JESU Crucifixo.

Quibus auxilijs, possunt naves inter tot pericula transire ad littus? certè per duo: nempe per lignum, & stellam, id est, per fidem crucis, & stellam lucis, quam peperit nobis stella Maria. *Inn. Pont. apud Bonav. c.* 3.

Q. Quo loco Christus sit crucifixus? ℟. In humili petroso monte Calvariæ, & quidem adeò contempto, ut in veteri saltem testamento, sacræ litteræ nullam illius faciant mentionem.

S. Pius, hodie mundo datus, & hoc eodem menſe in Pontificem electus, Crucis, & Crucifixi amator integerrimus, ſemper finitis precibus vulnera Crucifixi deoſculari conſueverat: accidit, ut imago Chriſti pedes ſubtraheret oſculanti; hinc aliquo ſe crimine obſtrictum eſſe ratus vir Sanctiſſimus, in lacrymas ſolvitur: verùm revelavit Dominus, id non contigiſſe ob culpam ab eo contractam, ſed ne venenum, quo pedes Crucifixi erant illiti, hauriret. *In vita.* En quàm pius erga Pium JESUS Crucifixus!

Sancte Pie, Sancti Ordinis Prædicatorum gloria, & Maxime Eccleſiæ DEI Antiſtes! Doce me piè ſemper colere JESUM Crucifixum, qui & pios vult ſervare, nec impios vult perdere, ſed magìs, ut à viis ſuis peſſimis convertantur, & vivant. Et Tu cumprimis - - O piiſſima Virgo, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, tum manè, tum veſperi quinque Chriſti vulnera devotè hodie exoſculabor.

Advocatum habemus apud Patrem, JESUM Chriſtum, juſtum; & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non tantùm pro noſtris, ſed pro totius mundi. *Joan.* 2.

Q. Cur Chriſtus mori voluerit in monte adeò ignominioſo? ℟. Ut omnem ignominiam auferat à pœnis aut ſupplicijs, ſi fortaſſe diſcipulos Chriſti, eorúmque ſectatores ſimilia pati oporteret. *Paciuch.*

S. Laurentius Justinianus, pro sua in Crucifixum Dominum pietate insipidis cibis vesci, vini locô, acetum bibere solebat: Christo Crucifixo conformis in vita, mori noluit in molli lecto fidelis Discipulus, cùm Magister ipse mortuus sit in Cruce. Sæpè, *nescio*, ajebat, *quid meritis vacuus agere debeam, coram severo Christi Judicis tribunali, nisi ut JESV Crucifixi crucem complectar. Surius.* Nemo cum majori fiducia pergit ad judicium, quàm qui JESUM Crucifixum, futurum Judicem studuit sibi reddere faventem.

S. Laurenti, doctrinâ & virtutibus Magne Patriarcha! excita in me præsertim in hora mortis, fidem vivam, spem omnino firmam in JESUM Crucifixum, & charitatem perfectam. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, hodie coram Crucifixo orabo pro ijs specialiter, qui in agone spiritu pusillanimitatis tentantur.

Finis passionis, redemptio est, & exemplum, ut quos Christus habuit suæ redemptionis servos, habeat suæ conversationis Discipulos *S. Thom. quæst.* 97.

Q. Cur mons ille, in quo crucifixus est Christus, mons Calvariæ appelletur? ℟. Tum quia in hoc communi supplicij loco, calvariæ promiscuè dispersæ jacebant, tum quia hic Adami Protoparentis nostri calvaria dicitur fuisse sepulta. S. *Aug. Hieron.*

SS. Julianus, & Basilissa, felices mutuo consensu Virgines, simul & conjuges. Nuptiis suis habuerunt præsentem JESUM & MARIAM. Vidit Julianus suum & Sponsæ nomen, libro vitæ inscriptum: unanimi dein voluntate separati ab invicem, Julianus viris propè mille, totidem Virginibus præfuit Basilissa. Hæc filias suas omnes (quæ in Diocletiani persecutione, fidem Christi suâ morte fortiter sunt confessæ) vidit in gloria, Crucem Domini in manibus portantes. *Barri.* Sic itur ad astra.

O Virginei Conjuges, SS Juliane, & Basilissa! reddite me vestris precibus sub vexillo Crucis, verum cœli candidatum; Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, & diei mortis meæ, & Vos ô beatæ in cœlis animæ, quondam &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, omnem hodie ad quamcunque creaturam inordinatum amorem deponam, omnémque amorem transferam in JESUM crucifixum.

Quos enim præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.

Q. Quando passus sit Christus, & quo anni tempore? ℟. In æquinoctio verno. *S. Aug.*

S. Marcianus, vir plenus misericordiâ, & ardentissimo erga Crucem & Crucifixum amore, signo Crucis incendium stetit, mortuis vitam reddidit, ipsius DEI jussu templum extruxit: Moriens Crucifixum, quem manu apprehendit, sic est allocutus. *In manus tuas, duo commendo Domine JESU, nempe animam, quam creâsti, & templum, quod ego voluntate tua construxi.* **Nad.** Optimè reponitur thesaurus maximus in manus Salvatoris.

Succurre mihi tam viventi, quàm morienti Vir Sanctissime, DEO, & hominibus dilecte, S. Marciane! Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, & diei mortis meæ, & Vos ô beatæ &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, antequam ad nocturnam quietem me conferam, animam meam commendabo in vulnera JESU Crucifixi.

Qui Passionis Dominicæ mysteria celebramus, debemus, quod agimus, imitari. *S. Greg. homil. 27.*

Q. Cur Christus in æquinoctio verno sit crucifixus? ℟. Quia tunc voluit Dominus mundum redimere & reformare, quo tempore eundem placuit creare: hoc autem in æquinoctio verno contigit. *S. Thom. cum Aug.*

B. Martinus à Spoleto, ad probandam JESU Crucifixi doctrinam, Crucis signô munitus, coram infinita populi multitudine, flammas ingressus, ibidem manibus in formam crucis expansis, omnino ab igne illæsus, orabat pro infidelium conversione JESUM crucifixum. Dein tandem lanceâ transverberatus à Mauris, gloriosè occubuit. *Sand.* Si conatus, & fides nostra non deficiat, gratia DEI facit mirabilia.

B. Martine, Martyr fortissime, impetra mihi sanctum illud animi robur, & generosos illos spiritus, ut JESUM Crucifixum nunquam & nullibi erubescam. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, coram Crucifixo hodie orabo pro gentium conversione.

Habeatur Christus in corde, habeatur signaculum in operatione, & ejus in nobis semper vivat memoria, & subrepentium cogitationum prava compescat, & in his, quæ exteriùs agimus, Crucifixi imaginem exhibeant evidenter. *Pet. Dam. in Ser. de Cas. M.*

Q. Quare voluerit Christus pati, dum dies longior esse incipit, quàm nox? ℞. Quia per passionem Salvatoris à tenebris ad lucem perducendi eramus. *S. Tho.*

S. Hermilio Martyr, à Licinio Imperatore ad mortem damnatus, illico ad Christi Crucifixi imaginem se convertens; *Domine*, ajebat, *ad adjuvandum me festina!* cùm autem ventrem sibi crudelissimâ barbarie aperiri conspiceret, quasi tripudians exclamavit: *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum. Meth.* Tantô perfunditur solatiô, in cujus oculis, & animô semper est Crucifixus.

S. Hermilio, per gloriosum tuum Martyrium te rogo, impetra mihi, ut in vita, & in morte oculus meus, & omnis cordis affectus unicè defixus sit in JESUM Crucifixum. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, quidquid hodie patiendum occurret, illud tanquam beneficium, & pretiosam particulam Crucis à manu DEI hilariter acceptabo.

Propterea Christianus es, & ideo hoc nomen accepisti, ut Christum imiteris. juxta Apost. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. *S. Chrys. Serm. contra Jud.*

Q. Quare Christus in optima ætate mori voluerit? ℟. Ut ex hoc magis suam dilectionem commendaret, quod vitam suam tunc pro nobis dederit, dum erat in perfectissimo statu. *S. Tho.*

S. Godefridus, vix Præmonſtratenſium Ordinem ingreſſus, mox tanto cæpit æſtuare JESU Chriſti amore, ut nihil niſi vulnera ſitiret Crucifixi, nil niſi Chriſto Crucifixo commori, eique conjungi deſideraret. Sæpiùs in crucifixi Salvatoris contemplatione manus, & brachia moribundi inſtar componebat ſuſpirans ardentiſſimè: *O Domine JESU, O JESU dulciſſime! veniat, veniat tandem illa hora noſtri tranſitûs! In vita.* Amantibus Chriſtum, non tantùm volupe eſt pati, ſed etiam dulce eſt mori.

Precibus, & meritis tuis juva me, S. Godefride, qui nos exemplô tuô & contemnere terrena, & amare cœleſtia docuiſti. Et Tu cumprimis - - O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, JESU Crucifixi effigiem hodie ſingulis horis, quantum fieri poteſt, pio intuitu, aut ſaltem affectu venerabor.

Si oblitus fuero tui, Dulciſſime JESU! oblivioni detur dextera mea; Adhæreat lingua faucibus meis, ſi non meminero tui, aut ſi non propoſuero paſſionem tuam in principio lætitiæ meæ. *Thom. Kempi de Paſſ. Chriſti.*

Q. Qua die Chriſtus mortuus ſit? ℟. Eadem die, qua antehac fuerat conceptus, nempe 25. Martij. *S. Aug. Thom. Suarez.*

HOdie Ecclesia festum SS. Nominis JESU celebrat. Dedit hoc Sacrosanctum nomen filijs suis in tesseram, & scutum S. Ignatius de Lojola: tres tamen Dominicæ Crucis clavos (qui antehac addi non solebant) adjungi voluit, ut ostenderet in hoc sacro Nomine, non quærendam esse tantùm mellifluam devotionis suavitatem, sed etiam ut meminerimus, Crucem esse ferendam, & nos Cruci cum Christo esse configendos. *Lyr.* Suas etiam virtus habet delicias, nullibi tamen magîs solidas, magísque fixas quàm in JESU Crucifixo.

Per Sacrosanctum nomen JESU, quod est supra omne nomen, concedat nobis omnipotens, & misericors DEUS, ut nomina nostra beatæ prædestinationis liber adscripta retineat in cœlis. Et Tu cumprimis - - *fol.* 1.

Omne, quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri JESU Christi facite, gratias agentes DEO, & Patri per ipsum.

Ad quod impetrandum, peculiares agam hodie DEO gratias, pro omnibus adversis hucusque toleratis, quæ me Crucifixo Salvatori reddiderunt conformiorem

Q. An non in veteri testamento præfigurata sit dies Passionis Dominicæ? ℟. affirmativè: siquidem etiam eodem mense, & die facta est immolatio Isaaci, & transitus filiorum Israël per mare rubrum, *In App. Mart. Adonis.*

S. Paulus Eremita, eximius amator, & imitator Christi Crucifixi, à 16. ætatis anno usque ad 113. crucem suam cum Christo tulit constanter; ut ergo simillimus illi, quem semper amavit, etiam mortem oppeteret, manibus in crucis formam extensis, positísque humi genibus, expiravit in oratione; corpus exanime, instar Crucifixi ab Antonio est repertum. *In vita.* Ita moritur, cui mundus erat crucifixus, & ipse mundo.

S. Paule, vitæ Eremiticæ Prínceps, doce me sanctissimô vitæ tuæ exemplô, ita fastidire caduca & terrestria, ut sola Crux Christi, & crucifixus JESUS viventi mihi & morienti sit in delicijs. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, & diei mortis meæ, & Vos, ô beatæ in cœlis animæ, &c *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, coram Crucifixi imagine, quasi jam expiraturus devotè orabo commendationem animæ in Ecclesia consuetam juxta exemplum P. Kirchin. S. J.

Plorans plorabo die ac nocte, & lacrymæ meæ in maxillis meis super contritione, & amara Domini mei Passione. *Thom. Kemp. de Pass. Christi.*

Q. Qua hebdomadæ die Christus sit crucifixus? ℟. Feriâ sextâ. *Theophil. Beda.*

XVI. JA-

B. Margarita de Cortona, tanto ſpiritu compati ſolebat JESU Crucifixo, ut non raró ſanguineas funderet lacrymas, eſsétque in præſentiſſimo periculo cæcitatis. Sæpiùs quaſi extra ſe rapta, videbatur cum Maria Magdalena intereſſe ipſi ignominioſæ Savatoris morti in cruce. Sæpiùs ingeminabat: *O Angeli, O Creaturæ omnes, Chriſtum mihi crucifixum oſtendite, illum, qui ob mundi peccata mortem ſubiit.* Pacciuch.

B. Margarita, tuis pro me apud JESUM Crucifixum age precibus, ut dum mors temporalis mihi claudet oculos, meus & tuus JESUS me recipiat in æterna habitacula.

Ad quod impetrandum, ſi hodie Crucifixi effigiem tranſiero, devotô eundem venerabor ſuſpiriô: Domine JESU crucifixe Fili DEI, miſerere mei! Et Tu cumprimis - - O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum &c *fol.* 1.

Recedite, recedite domeſtici, & externi, dimittite me ſolum, & deſolatum ſedere, ut plangam paululum dilectum meum pro me crucifixum. *Tho. Kemp.*

Q. Quâ horâ crucifixus ſit Chriſtus? ℟. Intra tertiam & ſextam, ideo horâ tertiâ, alibi horâ ſextâ legitur fuiſſe cruci affixus, id eſt horâ tertiâ non incipiente, ſed finiente; finis autem horæ tertiæ erat quaſi initium ſextæ. *Lyr.*

S. Antonius, die noctúque in solitudine à dæmone tentatus, nil familiarius sibi habuit, quàm usum Crucis, & JESUM Crucifixum: & hoc remedium esse efficacissimum est expertus. Semel coram Salvatore piè questus: *Ubi*, ajebat, *eras, JESU dulcissime, cùm me tam probrosæ imagines miseris modîs infestarent?* Sed responsum accepit: Antoni, ad latus tuum hærebam, ut pugnam viderem, & fortitudinem tuam possem coronare. *In vita.* Nec eremus sancta, satis est secura.

S. Antoni, conforta me in agone supremo cum Satana luctantem, & inter tot insidias de salute æterna periclitantem; Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, cor meum, præcipuè tempore tentationis, cruce signabo.

Magna dilectissimi adversùs dæmones arma sunt, vita sincera, & intemerata ad DEUM fides: credite mihi experto: pertimescit Satanas rectè viventium vigilias, orationes, jejunia, &c. & præcipuè pium erga JESUM Crucifixum amorem.

Q. Quales illæ horæ fuerint? ℞. cum S. Hieron. sicut olim nox dividebatur in quatuor vigilias (quarum quælibet continebat tres horas) sic etiam dividi solebat dies in quatuor stationes, quarum quælibet comprehendebat tres horas communes. Stationes illæ vocabantur Prima, Tertia, Sexta, Nona.

S. Brigitta, in honorem patientis Domini, defluentibus ardentis cerei guttis carnem ſuam ſæpiùs excruciabat, præſertim feriâ ſextâ: maluiſſet ſiquidem mori potiùs, quàm illâ die, quâ crucifixus eſt Chriſtus, vivere ſine dolore. Annulo ſuo ſignatorio inciſam geſtabat crucem, & quinque vulnera Salvatoris. His etiam quinque ſenſus ſuos præmunire ſolebat, ne quiſquam hoſtium ſubrepat. *In vita.* Si vis tutus eſſe, poteris; ſed portas ſenſuum claudere eſt neceſſe.

Senſibus propè omnibus deſtitutæ, & ad æternitatem properanti animæ meæ ſuccurre quæſo, S. Brigitta, fidelis DEI famula; Et Tu cumprimis - - O piiſſima Virgo, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, ſenſus & cor meum ſanctæ crucis ſignô, hodie ſaltem manè & veſperi ſignabo.

Certè quiſquis Chriſtianus dicitur, Chriſti ſe eſſe diſcipulum profitetur. Qui autem Chriſti diſcipulus eſt, debet Doctoris exempla per omnia ſectari, ut in diſcipuli habitu, & converſatione, tam forma, quàm doctrina reſplendeat Magiſtri. *Sixt. Pont. III.*

Q. Quâ horâ juxta uſum horologij noſtri, Chriſtus ſit crucifixus? ℟. horâ duodecimâ, & ideo in patientis JESU memoriam Ludovicus XI. Rex Galliæ annô 1426. inſtituit pulſum meridianum æris campani, horâ ſextâ, id eſt, duodecimâ noſtrate. *Canij. Gaguinus Genebr.*

B. Nicolaus, re nullâ magìs, quàm JESU Crucifixi memoriâ, & crucis ferendæ desideriô delectabatur. Ut hos pietatis igniculos foveret, quinque cruces ligneas fune nodoso, carni adstrictas gestavit, morti vicinus sacra stigmata in manibus ostendit, atque his instructus armis, generosè supremum inijt certamen vir sanctissimus, qui aliquando visus fuerat (dum ad populum diceret) in forma crucifixi. *In vita.* Apta media prævideas, oportet, ut providè pervenias ad finem.

Ora pro me, B. Nicolaë, qui amore Domini tui, lætus & hilaris per viam crucis processisti; Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, à Crucifixo JESU petam suppliciter, ut me præsertim in agone contra carnis & dæmonis insidias tueatur.

Excelsa est patria, humilis via; patria est vita Christi, via passio Christi; quia recusat viam, quid quærit patriam? *S. Aug.* 25. *Tract. in Joan.*

Q. Quis Christo ad Calvariæ montem venienti vinum subministraverit? ℟. Moris erat, ducendis ad supplicium generosius vinum dare: Hinc etiam pientissimæ illæ matronæ, quæ comitabantur Christum, pro Christo præcipuè, tum etiam pro latronibus vinum bonum, & aromaticum dederunt ministris. *Carthus.*

S. Sebaſtianus, Martyr nobiliſſimus, ſub Diocletiano, Dux primæ cohortis, nec verborum lenocinijs, nec tormentis à Chriſto JESU avelli poterat, aut ſeparari. Palo alligatus vocem è cœlo audivit: *Nunquam non, mecum eris.* Telis confixus, amore illius occubuit, cujus latus ſanctiſſimum, lanceâ apertum eſt in cruce. *In vita.* O utinam & meis hæc vox auribus illabatur!

Ora pro me, S. Martyr Sebaſtiane, ut ſecundùm magnam miſericordiam ſuam liberet me à morte æterna JESUS Crucifixus, cujus amore tu vitam & ſanguinem profudiſti. Et Tu cumprimis - - O pijſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, omnes Sanctos, Chriſti Crucifixi cultores precabor unicè, ut imperfectum meum ſuppleant amorem.

Gloria magna eſt ſequi Dominum: Chriſti milites ſumus, ſub ejus ſignis militamus; Dux noſter Chriſtus eſt, imò omnium Rex eſt. Aulicorum eò ſuſpirat ambitio, ut Regem quàm proximè referant, & ſequantur. *S. Ambr. Ser. 18. de SS.*

Q. Quis vinum illud felle miſcuerit? ℟. Judæi ex inaudita barbarie, vinum felle & myrrha corruperunt, tum ut guſtum exinanirent, tum etiam, ut per myrrham mixtam, ſitim ejus adhuc magìs irritarent, *Carthuſ.*

S. Agnes, tredecim annorum parvula, JESU Crucifixo deſponſata, Symphorianum, ejus amores aucupantem, palàm repudiavit dicens: Diſcede à me pabulum mortis! amo Chriſtum, ipſi ſoli ſervo fidem, ipſi ſum deſponſata, cui Angeli ſerviunt, cujus pulchritudinem ſol, & luna mirantur. In medio flammarum, expanſis in crucis formam manibus, cœlúmque ſuſpiciens: *Ecce,* ajebat, *quod concupivi, jam video; quod ſperavi, jam teneo: ipſi ſum juncta in cœlis, quem in terris totâ devotione dilexi.* S. *Ambr.* Quàm magna in exiguo corpore virtus!

S. Agnes, electa JESU Chriſti ſponſa, adjuva me in ultimis vitæ meæ anguſtijs, dum momentum illud imminebit, à quo tota pendet æternitas. Efficè id unum, ut me in ſorte Electorum ſuorum conſtituat agnus ille immaculatus, & in monte Calvariæ immolatus, JESUS Chriſtus crucifixus; Et Tu cumprimis - - O piiſſima &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, hodie expanſis manibus coram crucifixo orabo pro ijs, quorum innocentia periclitatur.

Magnus tepor certè tuus ſit, neceſſe eſt, qui tanto amoris igne, quo tuus te Salvator proſequitur in cruce, non caleſcit. *S. Carillia in Vita.*

Q. An in cruce humi jacente, facta fuerit crucifixio Chriſti? ℟. quod ita: qui in cruce jam in altum erecta, crucifixio ipſa difficilior fuiſſet ipſis crucifigentibus. *S. Anſel. Laur. Juſt. Bonav.*

S. Vincentius, ſub Daciano Præſide, equuleum, craticulam igneam, laminas candentes, ungulas, faces ardentes perpeſſus eſt fortiter & conſtanter. Hæc inter, *Fruſtra*, ajebat, *fatigaris Daciane! non potes adeò horrenda excogitare ſupplicia, quin ipſe paratus ſim, & illa, & illis majora, ſuſtinere amore illius, qui hæc & infinities plura, & majora amore mei perpeſſus eſt in cruce. Ex vita.* Plurimum in utramque partem poſſunt exempla.

S. Vincenti, Athleta Chriſti fortiſſime, per illam tuam inter tormenta conſtantiam, averte omnem inter adverſa puſillanimitatem. Impetra mihi, ut JESU Crucifixi, & tuo exemplo animatus, ſupremi morbi, mortíſque dolores hilari magnóque animo feram. Et Tu cumprimis - - O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, præſertim ſi quæ adverſa obtigerint, oculos animúmque occupabo contemplatione JESU crucifixi.

Non erubeſcere debet Chriſtianus, quod fecit Chriſtus. *S. Aug.*

Q. Quidnam Chriſtus primum paſſus ſit, poſtquam ad montem Calvariæ pervenit? ℟. veſtibus omnibus eſt exſpoliatus, ſicque dolor omnium vulnerum recrudeſcebat. Maxima tamen afflictio erat, adeò propudiosè denudari. *S. Anſelm.*

S. Eusebia, licèt à multis in sponsam sit expetita, ex paterna tamen domo repentè profuga JESUM Crucifixum in sponsum suum unicum unicè dilectum præ millibus elegit, diù mundo ignota latuit, nota soli JESU Crucifixo, in quo solo suum quærebat, & inveniebat solatium inter virgines DEO dicatas. Tandem post mortem crux mille stellis cincta, supra claustrum visa, ejus sanctitatem orbi manifestavit. *In vita.* Hæc optimam partem elegit: sed non omnes capiunt verbum hoc.

Memor esto mei, tuis apud JESUM Crucifixum precibus, Sancta Eusebia, illúdque exora, ut nihil mihi sit suavius, nil dulcius, quàm JESUS DEI Filius. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, &c *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, provolutus ad pedes Crucifixi, me totámque animam meam illi desponsabo, ut vivam jam non ego, sed vivat in me Christus JESUS, & hic Crucifixus.

Hic erit requies mea in sempiternum, ubi pascar à vulnere, lactabor ab ubere; Et hæc erit dulcissima portio mea in vitam æternam. *S. Bern.*

Q. Quid nos docere voluerit Christus vestibus omnibus exspoliatus? ℟. ut nos quoque nefarios omnes animi affectus, & veterem hominem exuamus, & nudi nudum JESUM sequamur, *S. Hieron.*

B. Angela Vidua, Matrona Paſſioni Dominicæ devotiſſima, JESUM cruci affixum confidenter interrogabat; quidnam obſequii foret Eidem gratiſſimum? *Filia*, repoſuit benigniſſimus JESUS, *gratius mihi obſequium exhibere non poteris, quàm ſi ſæpiùs devotè reſpicias in vulnera Crucifixi. In vita.* O oculi! deſinetis eſſe ſcopuli, ſi vobis tantùm placeat hoc ſpectaculum.

O B. Angela! impetra mihi, ut nec oculis nec animo, usque ad ultimum vitæ ſpiritum, arrideat aliud præter JESUM crucifixum. Et Tu cumprimis -- O pijſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, hodie SS. quinque vulnera peculiari devotione venerabor.

Inſpice itaque vulnera pendentis, ſanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices reſurgentis: Hæc quanta ſint, cogitate, hæc in ſtatera cordis veſtri appendite, ut totus vobis figatur in corde, qui pro vobis totus fixus eſt in cruce. *S. Aug. de Virg.*

Q. Qualibus indumentis aliàs uſus ſit Chriſtus? ℟. Qualibus communiter illo tempore homines modeſti, & honeſtæ conditionis utebantur: videlicet interulâ, ſeu Gamiſia, dein tunicâ: demùm etiam chlamyde aut togâ, ſeu juxta uſitatiorem loquendi modum, pallio. *Lyr.*

S. Paulus è Saulo converſus per JESUM Chriſtum, & ex perſecutore Eccleſiæ mutatus eſt in Apoſtolum, & vas electionis, ut portaret nomen JESU coram gentibus. Nihil ille loquebatur aliud, nil aliud cogitabat, nil aliud prædicabat, quàm JESUM Chriſtum, & hunc crucifixum. Nullus ſubtilius, nullus glorioſius de crucifixo locutus unquam fuit quàm hic Doctor Tarſenſis, in nulla re gloriabatur niſi in ſola cruce D. N. J. C. Hujus ſtigmata etiam in corpore ſuo circumferebat. *In Vita.* Nullus morbus adeò gravis, quem non ſanare poſſit dextera Medici omnipotentis.

S. Paule Apoſtole, magne Doctor gentium, tua nobis quæſumus apud JESUM crucifixum non deſit oratio, qui nos tuo voluit patrocinio gubernari. Et Tu cumprimis - - O &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, S. Pauli Apoſtoli verbis alloquar JESUM crucifixum: ***Domine, quid me vis facere?*** illúdque, quod agnovero Deum velle, fideliter præſtabo.

Si quis lapſus ſit, non idcircò deſperet, nec animum abjiciat; quia Advocatum habemus Chriſtum Dominum, qui ſuum ſanguinem, crucem & mortem pro nobis obitam Patri repræſentans, facilè nobis, ſi verè nos pœniteat, veniam impetrabit. *Corn. à Lap. in 1. Joan.*

Q. Qualis fuerit interula Chriſti? ℟. Hæc erat linea: & ſervatur Romæ in Baſilica Lateranenſi, cum inſcriptione: ***Interula linea D. N. J. C. quam ei B. Virgo fecit, Franc. Ribera.***

B. Pasqualina pium fixit amoris osculum, vulneri sanctissimi lateris, ab ipso Christo crucifixo ad id invitata. Ex hoc sacrosancto fonte tantam Dominici sanguinis copiam, tantúmque cælestis solatii ac suavitatis hausit, ut in aliam omnino mutata fuisse videretur. *Jacob de SS. Umbria.* Fons hic salutaris patet omnibus; culpa tua est, si non haurias salutem.

B. Pasqualina, quoniam mors mihi certa, mortis tamen hora incertissima, impetra mihi gratiam, ita piè vivendi, ut in suavissimo amplexu JESU Christi emoriar, quovis momento ad mortem paratus. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, amore JESU crucifixi, ea maximè emendare satagam, quæ salvatori, in me maximè videntur displicere.

Domine, qui tibi non servit, quia creatus est; infernum meruit: sed qui non servit tibi, quia redemptus est; meretur, ut novus pro ipso infernus fiat. *S. Aug.*

Q. An interula illa fuerit distincta ab illa inconsutili veste Salvatoris? ℟. quod ita: quia hæc erat lanea, atque etiam in Basilica Lateranensi custodiebatur, quam cum Christo crescente, etiam crevisse scribit *Bapt. Mant. Corn. & Bonfrer.*

S. Joannes Chryſoſtomus, pijs in JESUM crucifixum affectibus, & contemplationi altiſſimè immerſus, identidem ingeminabat: *Adoro Domine venerandam & vivificam crucem tuam: Exoſculor cruciatus, amo clavos, & membrorum vulnera veneror, calamum verò & lanceam & ſpongiam ſuſpicio: tanquam diadema regium, coronam mihi ſpineam impono, & ſputis, ut pellucidis lapillis armor, & colaphis tanquam clariſſimo ornatu glorior, teque confiteor verum DEUM, unum ex SS. Trinitate JESUM Chriſtum.* Nullibi vir ſanctus, malis ſuis levamen reperit, niſi in cruce JESU Chriſti. *In vita.* Sæpius in cruce & ærumnis nullum invenimus ſolatium, quia nos quærimus, non JESUM crucifixum.

O utinam! S. Joannes Chryſoſtome, diſcam exemplo tuo, ut viventis & morientis, unicum ſit ſolatium JESUS crucifixus. Et Tu cumprimis - - O pijſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, hodie viſitabo ſacellum aut templum, ubi ſpecialiter colendus proponitur Crucifixus.

Crux Domini eſt Chriſtianorum ſpes, crux Romanorum victoria, cæcorum Dux, converſorum via, claudorum baculus, pauperum ſolatium, arbor reſurrectionis, lignum vitæ æternæ. S. *Chryſ.*

Q. Cujus coloris fuerit illa tunica Chriſti, ſeu veſtis inconſutilis? ℟. fuit coloris violacei. *Fr. Ri.*

B. Margarita, Ungariæ Regis Filia, vix aliud legere, loqui, aut audire voluit, niſi de JESU crucifixo. Prandebat nunquam, niſi priùs ſingula Domini vulnera fuiſſet exoſculata: Clavis ferreis plantas pedum cruentabat: biduum ante paſcha inter orationes, repetitas flagellationes, ſine ullo cibo tranſigebat: Tandem eâdem, quam prædixit, horâ, hæc inter verba: In manus tuas commendo ſpiritum meum, ſanctam animam ſuo reddidit creatori. *Duvall*: Medias inter aulæ delitias ſancta vita, rara & pretioſa eſt Margarita.

B. Margarita, animam meam, præſertim in hora mortis meæ tibi commendo, impetra mihi, quod unicè deſidero, ut JESUS Chriſtus, qui ſanguineo charactere, in manibus ſuis deſcripſit me in cruce, meam quoque animam in paternas manus ſuas recipiat in morte. Et Tu cumprimis- - O pijſſima Virgo, &c *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, quoties ad quietem me conferam, verba illa devotè repetam: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum.

Acceſſiſtis ad teſtamenti novi Mediatorem, JESUM: & ſanguinis aſperſionem, meliùs loquentem, quàm Abel! *Hebr.* 12.

Q. Quale fuerit veſtimentum Chriſti? ℟. Talaris Tunica, & pallium erat violaceum. Zonâ præcingebatur. Gamiſia linea circa manus prominebat. *Marina de Eſcobar.*

S. Franciſcus Saleſius à prima pueritia, moribus & vitâ Angelus, imò totus in JESU crucifixi amore Seraphinus. Sæpius coram crucifixo humi proſtratus, à ſuis eſt repertus. Amore JESU æſtuans dicere ſolebat: Crucifigere debeo meas appetitiones, ut deinceps Chriſto ſimilior evadam; optabat frequentiſſimè longis morbis confici & doloribus diuturnis. *Lyr.* Tantum eſt, à teneris aſſueſcere virtuti.

Impetra mih, S. Franciſce, ut nihil amem, nihil deſiderem niſi JESUM, & hunc crucifixum: Ille ſit mihi in vita, & in morte, ſpes mea unica, amor unicus cordis mei. Et Tu cumprimis - - O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, hodie peculiariter ſtudebo Chriſti patientiam & manſuetudinem imitari.

Dulcius nihil eſt quàm pati propter DEUM; eò quod dulcius nihil eſſe poſſit, quàm amare DEUM: neque amor major quàm pati pro DEO, ſeu pro nomine JESU contumeliam pati. *S. Ignat.*

Q. An Chriſtus nulla ſui parte velatus, affixus ſit cruci? ℟. nudiſſimus omnino erat, dum proſtratæ in terram cruci affigeretur: Idque perſuadet petulantia militum. *S. Anſelm.*

B. Rita de Caſſia, quaſi cum primo lacte hauſit JESU patientis amorem. Vix ullus in cubiculo erat locus ſine crucifixo. Audita de morte Chriſti concione, adeò eidem affici cœpit, ut domum reverſa ad pedes crucifixi ſe abjecerit, rogans enixè, ut ſaltem unius ſpinæ dolores in Corona Chriſti, poſſet ſentire? Et ecce! repentè ſpina una lucido immixta radio, ex corona crucifixi in frontem B. Ritæ immiſſa, plagam cauſavit adeò gravem, ut totâ vitâ eandem retinuerit, & quidem vermibus ſcatentem. *In vita.* Ut Virginitas, ita & virtus omnis nullibi adoleſcit meliùs, quàm ſepta ſpinis.

O B. Rita! impetra mihi, ut tuo exemplo edoctus, ſaltem non recuſem pati amore JESU crucifixi, qui amore mei, etiam mori dignatus eſt in cruce. Et Tu cumprimis - - O piiſſima Virgo, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, omnes malas cogitationes, imò etiam quaſcunque mentis evaginationes, ſine more repellam.

Semper mortificationem JESU, in corpore noſtro circumferentes, ut & vita JESU manifeſtetur in corporibus noſtris. 2. *Cor.* 4.

Q. An Chriſtus ſaltem velatus fuerit, aliqua ex parte corporis, antequam Crux fuerit cum Chriſto in altum erecta? ℟. Velo lineo circa medium corpus, velatum fuiſſe, ſuadet perſonæ dignitas, & naturalis honeſtas. *S. Anſelm.*

S. Petro Nolaſco Angelorum Regina cum nobiliſſimo cœli comitatu comparuit, eíque ſuaſit, ut ordinem inſtitueret, cujus ſectatores, ab infidelium jugo captivos redimerent, ſuámque etiam vitam, ſi opus foret, ponerent pro animabus, quas JESUS Chriſtus à jugo diaboli ſanguine ſuo redemit in cruce. Obtemperavit vir ſanctiſſimus: ipſe verò Dominus JESUS Chriſtus voluit, ut Petrus cum ſuis, crucem albam ſcuto rubei coloris inſertam, in pectore circumferret. *In vita.* Felix diſcipulus, cui MARIA ſe offert in Magiſtram, & cui JESUS crucifixus proponitur in exemplum.

Intercede pro me S. Petre Nolaſce, ut per ſignum ſanctæ Crucis ſuæ liberet me ab inimicis meis Dominus DEUS noſter, per quem empti ſumus pretio magno valde. Et Tu cumprimis - - O pijſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, orabo hodie pro captivis inter infideles.

Non exiſtimemus nos aliquid profeciſſe, donec unusquisque in corde ſuo geſtaverit Crucifixum. *P. Balth. Alvarez.*

Q. Quis velum illud pro tegenda Chriſti crucifixi nuditate ſubminiſtraverit? ℟. B. V. MARIA detracto proprij capitis velamine, hoc ei obſequium impendit. *S. Anſelm.*

S. Ignatius Episcopus & Martyr familiare sibi illud habuit: *Amor meus* JESUS crucifixus. Ad bestias damnatus: Nunc ajebat, incipio Christi esse discipulus: Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio & totius corporis contritio, & omnia diaboli tormenta in me veniant, tantùm ut Christo fruar: Melius est mihi mori propter JESUM Christum, quàm imperare finibus terræ. Post mortem, sanctissimum JESU nomen, cordi ejus inscriptum est repertum. *Metaphr.* Scilicet ex abundantia cordis os loquitur.

S. Ignati, gloriose Martyr & Episcope, impetra mihi, ut ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex totis viribus meis, in vita & in morte amem, & diligam super omnia Dominum meum, & DEUM meum JESUM crucifixum. Et Tu cumprimis -- O pijssima Virgo, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, sæpius illud hodie repetam: *Amor meus non sit aliud, nisi JESUS crucifixus.*

Non omnia nostra Christus explevit: Per crucem quidem suam Christus omnes redemit, sed remansit, ut qui redimi, & cum eo regnare nititur, cum eo crucifigatur. *S. Aug.*

Q. Ubi velum hoc asservetur? ℟. In Aquisgranensi Ecclesia, particula tamen aliqua in Bavariæ monte sancto Andechs custoditur. *Pacciuch.*

HOdie post completos purificationis dies, MARIA Mater DEI Sanctissima, Patri æterno JESUM obtulit ad labores & dolores, ad vulnera, ad crucem, ad mortem pro humani generis salute ferendam. Sanctissimæ Matris animam, audito Simeonis vaticinio, doloris gladius transfixit: tota siquidem Passio Christi, & pendulus è cruce Filius, jam tunc Marianæ mentis oculis obversabatur. *Ruper.* Ut vulnera clausa plus cruciant, ita vulnera animi acerbiùs sentiuntur.

O Sanctissima Virgo, quæ hodie in templo filium tuum JESUM Christum Patri æterno præsentâsti, & doloris gladio transfixa fuisti. Tu inquam -- O piissima Virgo, amaritudine & doloribus plena, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, manu tenens crucifixum, quasi jamjam moriturus, dicam, quod hodie Simeon in templo: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace.

Ad ubera MARIÆ deforis stringebatur JESUS, & eisdem lactabatur uberibus, simulque intus in corde, futurorum præscio, semper apparebat, quasi esset morte moriturus. *Rup. Abb.*

Q. An in denudatione illa postrema, etiam novus dolor Christo accesserit? ℟. quod ita: quia vulnera omnia, quæ contegebantur, novâ sanguinis effusione fuerunt renovata. *Paccinch.*

S. Blandina, crudelissima inter tormenta semper illud animo & ore volvebat: Christiana sum: nihil apud nos admittitur sceleris: Nos Christiani DEUM habemus, qui omne supplicii genus pro nobis sustinuit, qui pro nobis in cruce sanguinem fudit & vitam: Cur ergo tam languido ac fracto erimus animo, ut vicissim pro eo sanguinem & vitam non profundamus? *In vita.* Tantum potest sola memoria JESU crucifixi.

S. Blandina, verè mulier fortis, & fidelis JESU Christi famula assiste mihi præsertim inter supremos mortis dolores & angores. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, optabo, ut vitam & sanguinem fundere liceat amore mei, unicè præ omnibus dilecti JESU pro me crucifixi.

Non sistam gradum, donec cum Christo JESU affigar cruci. *Gonsal. Sylver. S. J. in Ep.*

Q. Quid adhuc actum sit cum Christo, jam omnibus vestibus exspoliato? ℟. Judæi coronam spineam, quam antea deposuerant, denuò capiti Christi imposuerunt, & quidem tantâ feritate, ut copiosè defluens sanguis oculos Christi repleret, auresque obstrueret. *S. Brigit.*

B. Joanna, quoties ipſius oculis imago crucifixi occurrebat, toties novo velut pudore ſuffuſa, contrito & humiliato corde: Averte, ajebat, pijſſime & miſericordiſſime JESU! averte oculos tuos à peccatis meis. Morti proxima, Paſſionem Domini ſibi prælegi voluit, ut morbi dolores cum patiente JESU patienter ferret, & cum moriente, vitam ſanctè finiret. *In vita.* Faciles in vota veſtra deſcendunt ſuperi, ſi modò rogentur.

Ora pro me S. Joanna pendentem in cruce Filium DEI, ut luctantem cum morte animam meam roboret & confortet, ſitque mihi crux Domini, baculus ille, in quo tranſeam hunc Jordanem. Et Tu cumprimis -- O pijſſima Virgo, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, eliciam coram Crucifixo, intenſiſſimum actum doloris, rogando, ut parcat mihi ſervo ſuo, quem pretioſo ſanguine redemit.

Ecce DEUS tibi mittit cruces, & mortificationes, quas non quæſiviſti, & manu propriâ tibi eas largitur; recipe, oſculare, amplectere. *Franc. Sales.*

Q. Quid Chriſtus egerit, dum jam veſtibus ſpoliatus, crucem conſpexit, cui erat affigendus? ℟. Patri cœleſti ſe denuò flexis genibus, oculis & manibus in cœlum ſublatis obtulit in Sacrificium, ac crucem tenerrimè complectens, ac exoſculans, ſe tradidit immolandum. *S. Th. & Rupert.*

S. S. S. Paulus, Joannes & Jacobus gloriosi è Societate JESU Martyres, in odium fidei ad mortem condemnati, exultabant gaudio & lætitiâ, quod morituri in cruce, similiores fierent JESU Christo filio DEI, cujus se in vita socios profitebantur: Passionem JESU Christi quotidie relegebant: In loco supplicij omnes tres in genua provoluti, ruebant in amplexum crucis, cum Andrea Apostolo. Atque hi tres anno 1597. tanquam primi flores ex labore Xaveriano prodierunt. *In vita.* Non pigeat nos certaminis etiam usque ad sanguinem, si tantus sequitur triumphus.

O Sancti tres Martyres! qui cum Christo & pro Christo gloriosum in cruce Martyrium subijstis, orate pro me, ut vivus & moriens, confixus sim Christo in cruce. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, omnes inordinatos affectus vel amoris, vel odij, vel superbiæ, affigam cruci JESU crucifixi.

Quemadmodum nihil erit in futura vita beatius, quàm esse Christo similem in gloria, sic in præsenti vita nihil est utilius, quàm ei similem esse in passione. *Bellarmin. Ep.* 107.

Q. Qualis fuerit forma crucis? ℟. crux fuit quaternis finibus terminata. *Hieron.*

B. Alphonſus Caſtellanus, ut commodiùs DEO ſervire poſſet, rediit ex miſſionibus Indicis in Hiſpaniam: Quoties orationi vacabat, toties obverſabatur oculis JESUS crucifixus, ſic illum objurgans: *Cur in cruce me reliquiſti, & ex ea deſcendens, tua quærens ſolatia in Hiſpaniam rediiſti?* Divina voce commotus, reverſus eſt in Indiam; ibique plenus dierum & meritorum, tandem in Mexicano conventu recepit mercedem laborum. *Sand.* Spiritus venit & vadit; dum dilectus ſtat ad oſtium & pulſat, aperi, ne pertranſeat.

Commenda me, B. Alphonſe! JESU tuo crucifixo; Impetra mihi, robur Spiritûs, ne unquam à JESU meo recedam. Cum hoc vivere deſidero, cum hoc pati volo, cum hoc cupio mori. Et Tu cumprimis - - O &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, amplectar hodie JESUM crucifixum, & renovato vitæ melioris propoſito, dicam cum Apoſtolo: *Quis me ſeparabit?* an mundus, an caro, an dæmon?

Chriſtus mortem pro omnibus ſuſtinuit, ut omnes à morte redimeret; Et ideo, qui non ſalvantur, non eſt, quod de DEO, vel de Mediatore poſſint conqueri, ſed de ſeipſis, qui nec redemptionem, quam Mediator dedit, nec ſalutem, quam DEUS obtulit, voluerunt accipere. *S. Anſ.*

Q. Ex qua materia crux fuerit fabricata? ℟. quercus videtur materiam miniſtrâſſe, uti probabiliter colligitur ex fragmentis majoribus ſanctæ crucis, quæ Romæ, Trajecti & alibi ſervantur. *Cyp. Euch. Becch.*

S. Romualdus Camaldulensium Fundator, corpore versabatur in terris, animo in cœlis. Dulcissima & unica ejusdem quies erat in vulneribus crucifixi; Coram quo vel expansis manibus, vel humi prostratus, dies noctésque transigebat. Hunc suis in exemplum proponebat, hunc animo volvebat, hunc factis exprimebat, ut non jam Romualdus, sed in illo vivere videretur Christus, & hic quidem crucifixus. *In vita.* Et quis in te vivit? num Christus, an Antichristus?

O utinam, S. Romualde, tuis, tuorúmque precibus adjutus, ita JESUM crucifixum amem in terris, ut eundem de facie ad faciem tandem videre liceat in cœlis! Et tu cumprimis - - O pissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, &c *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, confidenti animo hodie alloquar crucifixum, dicámque: *Certus sum, quia neque vita, neque mors, neque creatura alia, poterit me seperare à charitate DEI, quæ est in Christo JESU Domino nostro.*

Mallem mori, quàm minimâ noxâ à Te, O bone JESU! separari. *Ita post mortem, cordi Sanctæ Mechtildis, inscriptum reperiebatur.*

Q. Quare DEUS noluerit, ut nobis certò innotesceret, quale fuerit lignum crucis? ℟. Ut promisc.uè omnes, quascunque tandem nobis DEUS voluerit submittere cruces, indifferenter acceptemus, *S. Franc. Sales.*

B. Catharinettæ in ipso suæ ad DEUM conversionis initio, Christus sanguine & vulneribus plenus comparuit. Visio hæc adeò cor illius immutavit, ut indesinenter Christum crucifixum suis observari oculis firmiter sibi persuaderet. Hinc in voces has erupit: Vale munde, valete pompæ, sed & peccata valete. Munde te desero; Pompæ mundi vobis abrenuntio: Peccata vos detestor. Domine JESU tam perfrictæ frontis non ero amplius, ut peccato vel unico, me inquinem, aut tibi fiam injuria. Tuis semper vivam legibus, tota ero tua, nunc & in æternùm. *In vita.* Utinam! quæ secutæ sunt peccantem, sequantur etiam pœnitentem! Quantum inde Gaudium Angelis in cœlo.

B. Catharinetta impetra mihi misero peccatori cor contritum & hnmiliatum à Patre Misericordiarum. Et Tu cumprimis -- O pijssima Virgo, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, hodie me reum sistam coram crucifixo JESU, & confitebor me servum nequam & infidelem: misericordiam tamen ejusdem implorabo, recitando Psalmum: *Miserere mei DEUS, &c.*

Patent misericordiæ fontes in vulneribus Salvatoris. *S. Greg. hom.* 20. *in Ezech.*

Q. Quare crux fuerit quadrata? ℟. quia virtus crucis in quatuor partes orbis erat diffundenda. Oriens de vertice fulget, Arcton dextra tenet. Auster in læva consistit, Occidens sub plantis firmatur. *Hier.*

B. Hermanus ab Hallis, JESUM crucifixum, quem in vita dilexit, nec in morte dimiſit; quatriduo ferè integro, in ſuprema lucta conſtitutus, eâ erat conſcientiæ ſecuritate, vultûsque venuſtate & cordis jubilo, ut quam ferebat, alterâ manu crucifixi effigiem, alterâ DEI genitricis iconem, ſuaviſſimis & piiſſimis verbis alloqueretur: ſæpiùs aſſeverans, ſe certò per pretioſum JESU crucifixi ſanguinem, & S. Matris MARIÆ interceſſionem, vitam conſecuturum æternam. *In vita.* Bona nimirum conſcientia, quaſi juge convivium; mala, ùt inferni tormentum.

Tuâ interceſſione B. Hermane, conſtituat me Chriſtus JESUS filius DEI vivi inter agmina electorum ſuorum, & poſt vitæ hujus miſerias ſit in pace locus meus, & habitatio mea in ſancta Sion. Et Tu cumprimis -- O *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, ſpem firmiſſimam concipiam, obtinendi gratiam bene vivendi, & ſanctè moriendi, non quidem per mea merita, quæ exigua ſunt, aut prorſus nulla, ſed per infinita merita JESU crucifixi, & per interceſſionem B. V. MARIÆ.

Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adversùs ſemetipſum contradictionem, ut ne defatigemini animis veſtris. *Hebr. 12.*

Q. Quid per quadratam crucis figuram denotetur? ℟. per partem ſuperiorem crucis, cœli reſeratio, per inferiorem, mortis deſtructio, à dextris, gratiæ collatio, à ſiniſtris peccatorum remiſſio. *Lud. à Sax.*

S. Benedictus magnus ille Patriarcha, tum in se, tum in filijs suis verè à Deo benedictus, hodie S. Virginis *Scholasticæ*, Sororis suæ animam, sub columbæ specie vidit in cœlos evolantem. Nec abs re: per repetitum enim cum S. Benedicto colloquium, in vulnera Christi velut in foramina Petræ, se jugiter recipere didicit, ita quidem, ut tota Ejusdem vita, prope nil aliud esse videretur, quàm assiduus ante crucifixum JESUM, gemitus Columbæ. Aliquando præ amoris & doloris erga morientem JESUM magnitudine, extra se rapiebatur, imitata sancti sui Fratris exemplum, cujus unicum in adversis solatium, unicum contra impendentia mala præsidium erat Crux Salvatoris. *In vita*. Et tibi migrandum erit? sed: quô?

O S. Benedicte ora pro me cum sancta Scholastica sorore tua; Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? & volabo & requiescam. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, disponam domui meæ coram JESU crucifixo quasi hodie moriturus.

Funde lacrymas ad crucifixum! te salvare paratus est, qui pro te talia est passus. *S. Bern.*

Q. Qualis fuerit dimensio crucis? ℟. altitudo erat quindecim pedum, transversum lignum octo: grassities tanta fuit, quanta viro justi ponderis sufficiens erat. *Pacciuch.*

B. Dodo post annos aliquot in cænobitico vivendi genere transactos, cum bona superiorum venia, secessit in eremum: die & nocte, Dominicæ Passioni intentus. Crucifixus JESUS eundem sæpiùs suo alloquio est dignatus, eique sanctissima vulnera sua prodigiosè impressit: Nulli tamen unquam quamdiu vir sanctissimus vixerat, id innotuit. *In vita.* Disce & tu à sanctis, sanctè latere.

B. Dodo, per Sanctissima JESU crucifixi vulnera te oro, & obtestor: Impetra mihi in vita & in morte amorem & gratiam illius, qui usque in finem dilexit me, & sanguineo charactere, manibus & pedibus suis, imò & cordi suo inscripsit me. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, in honorem crucifixi JESU, fugiam omnem occasionem periculosam, & consortium malorum.

Qui se attentè, & devotè in sanctissima vita & Passione Domini exercet, omnia utilia & necessaria sibi, invenit; nec opus est, ut extra JESUM crucifixum aliquid quærat. *S. Bonav. coll.* 7.

Q. Cur Sancti Evangelistæ crucifixionem Christi, tribus tantùm verbis absolverint: *Ibi crucifixerunt eum*? ℟. Quia tantum mysterium satis exponi non poterat: maluerunt igitur multa paucis complecti. *Pacciuch.*

B. Christophorus Crivellius auditâ S. Bernardini Senensis concione, ex militari ad religiosum statum se contulit: Passionis ac mortis JESU Christi contemplationi ita erat intentus, ut sæpius amarissimis lacrymis diffluens prolapsus sit in terram, jamque exspirâsse crederetur. Ex hac meditatione ita profecit, ut ex milite strenuus fieret Athleta Christi, & verus imitator JESU crucifixi. *In vita.* O quàm frigidus est in me amor Domini mei JESU Christi!

Fac, O B. Christophore, fac me verè tecum flere, Crucifixo condolere, donec ego vixero. Tecum JESUM imitari, te libenter comitari in planctu desidero. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, saltem feriâ sextâ, aliquâ ex amore JESU crucifixi mortificatione corpus affligam.

Habete illum semper non retro in humeris, sed præ oculis: si enim ante oculos habueritis, quem portatis; profectò videntes angustias Domini, leviùs vestras feretis. *S. Bernard.*

Q. In quibus casibus se homo crucis signô muniat? ℟. In quatuor præcipuè: Primò dum cogitatio turpis se ingerit Secundò dum aliquod periculum emergit. Tertiò dum spectrum se sensibus nostris objicit. Quartò dum timor nos invadit. *Ven. Beda.*

S. Ivo Presbyter, dum mortem imminentem sentiret, ex lecto in terram deponi voluit, ibique ad Crucifixi Salvatoris imaginem conversus; repetitis sæpiùs suspirijs & lacrymis, agonem suum Domino commendabat; Et hæc inter, cum liquidissimo adstantium solatio, pientissimè in osculo sanctæ pacis exspiravit. *In Vita.* Bonâ morte nil optabilius; Quid prosunt omnia, si non detur bene mori.

Meritis tuis effice S. Ivo, ut morientem aliquando servum suum, benignè respiciat misericors & miserator Dominus, quoniam vox sanguinis fratris mei JESU Christi ad Patrem cœlestem clamat è cruce. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, hodie peculiari affectu, supremo apud Patrem Advocato JESU crucifixo, agonem meum ultimum commendabo.

Turbatur conscientia, sed non perturbatur, quoniam vulnerum Domini recordatur. *S. Bern.*

Q. Quomodo Judæi Christum crucifixerint? ℟. *Extensâ super terram cruce, Salvatorem furioso impetu raptârunt, & minimè reluctantem, cruci injecerunt.* S. Bonavent.

S. Alexander I. Pontifex ſemper crucem & JESUM crucifixum anhelabat: Paſſionis memoria, ne unquam fidelium mentibus excideret, ſtatuit hic amator crucifixi, ut in ſacrificijs Miſſæ, vinum aquâ miſceatur, tum ad ſignificandam Chriſti cum Eccleſia conjunctionem, tum ad excitandam in fidelium cordibus memoriam, quòd ſanguis & aqua fluxerit ex ſanctiſſimo latere JESU crucifixi. *In vita.* Qui præſunt alijs, non ſibi tantùm prodeſſe debent, ſed univerſis.

Maxime Eccleſiæ ſanctæ DEI Pontifex, Chriſti in terris Vicarie, S. Alexander, ora pro me JESUM crucifixum, ut ſanguis ille pretioſus, adeò liberaliter in cruce effuſus, exſpiranti animæ meæ ſit in ſalutem. Et Tu cumprimis - - O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, coram effigie crucifixi devotè illud repetam. Anima Chriſti ſanctifica me, Corpus Chriſti ſalva me, Sanguis Chriſti inebria me, Aqua lateris Chriſti lava me.

Tanta virtus vulnerum Chriſti eſt, ut ad eorum memoriam totus peccati fugetur exercitus. *S. Bern.*

Q. Quot miniſtri aut ſatellites Chriſtum cruci affixerint? ℟. Quatuor: unus pedes, alter ſiniſtram, dextram manum tertius tenebat, quartus longum clavum repetitis ictibus adegit. *S. Bonav.*

S. Procopius, aliàs Neanias dictus, sub Diocletiano Christianos, ùt alter Saulus, persequebatur: verùm in itinere prope Apamæam Syriæ urbem, vidit JESUM fulgentissimæ cruci affixum. Hâc visione ita perculsus est, ut mutatus in hominem alium, Christi fidem susceperit, vitâmque glorioso Martyrio consummaverit. *In vita.* En, quàm solicitè bonus pastor quærit ovem errantem!

Animam meam tibi devotissimè commendo, sancte Procopi: ora pro me, ut eam recipiat Dominus in sinum misericordiæ suæ, quoniam erravi sicut ovis, quæ perijt. Et Tu cumprimis - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, & diei mortis meæ, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, orabo hodie JESUM crucifixum pro peccatorum conversione.

Hæc mihi sit consolatio unica, tecum, mi Domine JESU, crucifigi, & mihi sit intima afflictio præter te aliquid meditari. *P. Car. Roland. S. J.*

Q. Quo ordine, Judæi Christum affixerint cruci? ℟. Primùm manus dextra, & quidem ut gravior esset dolor, clavo obtuso est cruci affixa. *Joan. Esch. Tractat. de Pass.*

B. Franciscus à Gatta, Lusitanus, ex amore JESU crucifixi, vitam ad mortem usque traducebat in continua carnis mortificatione: cineribus pulmentum, quo unicè reficiebatur, conspergebat. Per totam quadragesimam ab omni potu abstinebat, quotidie binis horis in se flagello desæviebat, orationi & contemplationi crucifixi continuò usque ad ecstasim sæpiùs instabat, donec tandem feliciter migraverit ad DEUM suum crucifixum, quem semper tota devotione dilexit. *Sand.* Quid ad hæc inimici crucis Christi, quorum DEUS venter est?

Per ardentissimum tuum, erga JESUM crucifixum amorem, te obtestor B. Francisce; ope tuâ mihi adesse velis, nunc & in tremenda illa hora mortis meæ. Et Tu cumprimis - - O pijssima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, quadragesimale jejunium pro viribus meis conabor accuratè observare.

Quicquid est dolorum, ad finem vitæ meæ patiar libenter in honorem JESU crucifixi. *P. Ant. Arragon.* S.J.

Q. Quomodo manus sinistra fuerit affixa cruci?
℟. Cùm foramen præparatum, nimis esset remotum, ita funibus adhibitis extensa est manus sinistra, ut venæ & nervi rumperentur. *Joan. Esch.*

S. Felix Nolanus amore JESU Christi fortia egit, multa & magna tulit, & bona omnia amisit. Angeli ei erant è carcere duces, ad mensam ministri, aranearum textura prodigiosum contra hostium insidias munimentum: Bona amissa licèt recuperare posset, noluit, dicens: Absit, ut bona repetam, quæ JESU mei crucifixi amore contempsi, quin potiùs pauper spiritu, nudúsque nudum in cruce Christum sequar: In hunc jactabo cogitatum meum, & ipse me enutriet. *Ribad*: Amore JESU sapienter contemnimus temporalia, ut cum fœnore recipiamus æterna.

Per intercessionem tuam mihi post temporalem mortem, vitam impetra æternam, S. Felix Nolane, imitator JESU Christi fidelissime: Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, coram crucifixo JESU, statuam firmiter omnia temporalia, imò potius vitam perdere, quàm DEI gratiam amittere per peccatum.

Lava animam meam, quam tuâ imagine signasti, munda corpus, quod redemisti. *Hugo de S. Vict.*

Q. Quis in crucifixione fuerit, dolorum maximus? ℟. Violenta illa sinistræ manûs extensio, *Ludulph. Carthus. ex revel.*

S. Simeon, Christi Domini non sanguine magis, quàm mortis genere propinquus, primus post Jacobum Hierosolymis Episcopus, post multos cruciatus, eodem, quô Salvator noster, passionis & crucis supplicio est affectus: mirabantur omnes, quòd vir centum & viginti annorum, acerbissimos crucis dolores & fortiter tulerit, & constanter. *In vita.* Non coronatur, qui bene inchoavit, sed qui cursum feliciter consummavit.

Omnem spem meam in te colloco S. Simeon! impetra mihi à crucifixo JESU perfectam in bene cœptis constantiam & perseverantiam finalem. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe; Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, & diei mortis meæ, & Vos, ô beatæ in cœlis animæ, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandúm, omnia, quæ agam aut patiar, offeram hodie Patri æterno in unione omnium laborum & dolorum JESU Christi.

An non est Crucifixus Dominus tuus? imitare Dominum; crucifige te ipsum, etiamsi ille te non crucifigat. *S. Chrysost.*

Q. Quare in extensione manûs sinistræ fuerit dolor adeò acerbus? ℟. Quia *membra omnia ex suis juncturis, adeò violentè solvebantur, ut omnia ossa possent dinumerari.* S. Bonav.

B. Guilielmus à Cordella unicum in crucifixo JESU reconditum habuit thesaurum, nec audire, nec scire, nec prædicare volebat aliud, nisi JESUM & hunc crucifixum. Hinc in urbe Tuscanella servum suum fidelem glorificavit Dominus, ita ut per signum sanctæ crucis, visum cæcis, sanitatem plurimis restitueret infirmis. *In vita.* Eccur crucem fugimus, in qua tot reconditi thesauri?

Intervenientibus meritis & precibus B. Guilielmi, per signum sanctæ crucis, & per S. passionem tuam ab inimicis nostris libera nos DEUS noster. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, nil curiosè videre appetam, quod displicere possit JESU crucifixo.

Aspicientes in authorem fidei & consummatorem JESUM, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contemptâ. *Hebr.* 12.

Q. Quare tanta passus sit Dominus? ℟. Tum ut superabundantiam ostenderet sui amoris, tum ut suo exemplo nos ad invictam quorumlibet etiam tormentorum tolerantiam animaret. *S. Bonav.*

S. Hugo Lincolnienſium Antiſtes, quantus crucis & JESU crucifixi fuerit amator, ſatis ſupérque in ſupremo morbo edocuit. Deficientibus jamjam viribus, terram cinere benedicto, in crucis formam conſpergi, ſéque eò deferri ex lecto voluit: Ibidem recubans, inter pœnitentis animi, & ardentiſſimos erga crucifixum amoris affectus, ſub initium cantici: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine, &c.* Spiritum ſuum ſuo reddidit creatori. *In vita.* Fac & tu ſimiliter.

Intercedente B. Hugone in manus tuas, O Domine JESU! ſuſcipe ſpiritum meum. Et Tu cumprimis -- O pijſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, dum me in lectum hodie conferam, mortis memor, illud repetam: Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem revertêris.

Nihil tam ſalutiferum nobis eſt, quàm quotidie cogitare, quanta pro nobis pertulerit JESUS crucifixus. *S. Aug.*

Q. Quare voluerit Chriſtus ſanctiſſimas manus ſuas adeò dilaniari? ℟. ut ſatisfaceret pro peccato Protoparentum, qui manus ſuas ad vetitum pomum extenderunt. *S. Anſelm.*

S. Gundisalvus de Amarantha, relictis omnibus peregrinus abijt in Palæstinam. Vix gressum in Terra sancta fixit, quem non lacrymis signâsset: ubique observari oculis videbatur JESUS, nunc ad tribunalia raptatus, nunc flagellis cæsus, nunc spinis coronatus, nunc sannis & ludibrio expositus, nunc crucis patibulo affixus: Et hæc singula adeò acerbo doloris sensu, quasi ipse pateretur, aut oppeteret mortem. *In vita.* Utinam vita nostra sit perpetua JDSU crucifixi meditatio.

O bone JESU! per gloriosa S. Gundisalvi merita te supplex rogo: Esto mihi JESUS & salva me. Et Tu cumprimis - - O pijssima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, instituam, si possibile est, peregrinationem aliquam ad vicinum Calvariæ montem.

In omnibus adversitatibus non inveni tam efficax remedium quàm vulnera Christi: In his dormio securus & quiesco intrepidus: Christus mortuus est pro nobis, nil tam ad mortem amarum, quod per mortem Christi non sanetur. *S. Aug.*

Q. Quare manus Christi clavis sint affixæ cruci? ℟. Præter rationes alias, ut etiam Christum in manibus suis nos descripsisse verificaretur.

S. Margarita pœnitens ſæpiſſimè coram Crucifixo proſtrata, vitæ ſuæ præteritæ delicta plurimis lacrymis deflebat, & diuturnis flagellationibus, quotidie ter repetitis expiabat. Beatiſſimæ Virginis dolores ſub cruce perpeſſor, ſentire deſideravit & impetravit. Cùm ardentiſſimo affectu crucifixum ſtringeret, allocutus eſt eandem pendulus è cruce Dominus, dicens: *Quid vis miſera?* Hæc verò: *Nil aliud*, reponit, *præter te Domine. In vita.* O quàm multæ Margaritæ peccantes! Quàm paucæ ſeriò pœnitentes!

S. Margarita tuis apud JESUM precibus impetra mihi, ut multitudo dolorum, quos JESUS paſſus eſt in cruce, ſit omnium meorum medela & plena remiſſio delictorum. Et Tu cumprimis - - O pijſſima Virgo, amaritudine, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, in honorem JESU crucifixi & doloroſæ Virginis, feriâ ſinceráque confeſſione conſcientiam meam proximâ occaſione expiabo.

Sola Paſſionis Chriſti crucifixi memoria & meditatio plus utilitatis homini affert, quàm ſi anno integro in pane & aqua jejunans, quotidie ſeſe flagellis ad ſanguinem usque cæderet, & pſalterium integrum recitaret. *S. Alb. M. in Roſ. Spirit. Exerc. tit.* 22.

Q. Quomodo SS. pedes Salvatoris cruci ſint affixi? ℞. Judæi SS. pedes D. N. J. C. funibus violentè attraxerunt, & acutiſſimo clavo cruci affixerunt, *S. Anſ.*

B. Gabriel de aſſumptione, licèt ob admirandam vitæ auſteritatem viribus exhauſtus, imò plagis & vulneribus eſſet plenus, non potuit tamen in infirmitate ſua à Medicis induci, ut levamen aliquod aut ſolatium admitteret, aut carnibus veſceretur. *Verecundor*, ajebat, *etiam ob illa*, quæ manduco, dum me fratrem diſcalceatum conſidero, & Chriſtum JESUM pro me cruci affixum contemplor. *In vita.* Scilicet non eſt mollis ad aſtra via.

Exaudi Domine JESU Chriſte B. Gabrielem ſervum tuum bonum & fidelem pro me ſupplicantem, & concede, ut in vita & in morte, ſolum & unicum mihi ſit ſolatium JESUS crucifixus. Et Tu cumprimis -- O pijſſima Virgo, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, ſi in morbum incidero, non quærar unquam contra cibum &c. aut alias incommoditates.

Meditatio de paſſione Domini & morte Chriſti crucifixi, adeò eſt valida, & efficax, ut nullus ſit tam durus & pervicax animus, qui illâ ſeriò conſideratâ non flectatur & molleſcat. *S. Bern.*

Q. Quomodo clavus penetrare potuerit oſſa pedum? ℟. Sacratiſſimi pedes Chriſti, primò fuerunt ferro præacuto excavati, ut deinde clavus faciliùs tranſiret. Hinc pſalmiſta: foderunt manus meas, & pedes meos. *S. Bonav.*

S. Mathias, JESU Christo, quem novit iniquissimè à Judæis crucifixum, afficiebatur tenerrimè. Hujus memoriam & venerationem omnium mentibus imprimere, Ejúsque doctrinam & Evangelium ubique, prædicare satagebat, & quidem tanto fervore JESU crucifixi gloriam promovebat, ut meritus sit per electionem Apostolicam substitui in locum Judæ proditoris. Sic DEUS, dum unum relinquit, alterum assumit.

S. Mathia, per Apostolicos tuos labores & merita impetra mihi, ut dum mortis hora advenerit, sors mea sit cum sanctis & electis DEI in æternum. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe; Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, in timore Domini operabor salutem meam, ne forte meâ excidam, & locum meum occupet alter.

Nihil adversus mala omnia tam est salubre, quàm sæpe interdiu eorum, quæ Christus pro nobis passus est, meminisse. *S. Aug.*

Q. Quare Christus tantos voluerit in pedibus dolores pati? ℟. Ut sanguine suo maculas illas ablueret, quæ multoties à nobis contrahuntur vel ambulando, hinc inde vagando, saltando, &c. *Thom. Kemp. de Passione Domini.*

B. Neſtor Epiſcopus è cathedra crucis, multa ad Chriſtianos peroravit; cúmque flexis humi genibus oraret omnis populus, Martyr Crucifixus clamabat: *Cum Chriſto DEO meo ſemper fui, & ſum, & ero*; atque ſic in crucis lectulo obdormivit. *In vita.* Paſtor bonus; qui paſcit oves ſuas Verbo & Exemplo.

Doce me Beate Neſtor S.Epiſcope ex cathedra ſanctæ crucis tuæ, ita piè & ſanctè vivere, ut ſemper Chriſto JESU adhæream in vita præſenti, & cum illo eſſe merear in futura. Et Tu cumprimis - - O piiſſima Virgo, amaritudine & doloribus plena, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, firmiſſimum coram JESU crucifixo, hodie concipiam propoſitum, ſemper usque in finem, per vitam verè Chriſtianam JESU Chriſto adhærendi, ita ut per nullum unquam peccatum permittam me ab ipſo ſeparari.

Nonnulli dicunt ſe Chriſti eſſe, ſunt tamen crucis inimici; nam alioquin, ſi crucem dilexiſſent, vitam ſtuduiſſent vivere crucifixam. *S. Chryſ. hom.* 13. *in Ep. ad Philip.*

Q. Quid inter hæc, dum Chriſtus affigebatur cruci, egit Mater ſanctiſſima? ℟. Pene exanimis erat, audiendo malleorum ictus: voce flebili & ſubmiſsâ ingemiſcebat: *Heu me fili mi JESU! JESU fili mi! quis mihi det, ut ego moriar pro te JESU fili mi! fili mi JESU!* Pacciuch.

S. Porphyrius licèt æger, pedibus ad montem Calvariæ repere solitus est. Ad Sacri Montis radicem cum felici latrone comparuit JESUS crucifixus. Porphyrius toto affectu accensus, compellabat Christum verbis illis: *Memento mei, dum veneris in Regnum tuum.* Mox Christi jussu visus est S. Dismas è cruce descendere, Porphyrio osculum dare, & adducere ad Crucifixum. Verùm Christus obviam venit, ruénsque in amplexum illius, eundem crucem suam ferre jussit. Tulit crucem æger Porphyrius, & plenam retulit sanitatem. *In vita.* Amplexus signum est benevolentiæ, crux pignus est divinæ dilectionis.

S. Porphyri, succurre precibus tuis periclitanti animæ meæ, ut eidem è corpore emigranti, occurrat in osculo pacis JESUS, Filius DEI vivi. Et Tu cumprimis -- O &c. *f.* 1.

Ad quod impetrandum, humiliabo me sub potenti manu DEI, & ad quamcunque crucem ferendam, me planè resignabo, dicámque: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum!*

Dulcius est, esse cum JESU in cruce, quàm sine illo in paradiso. *Th. Kemp.*

Q. Quid actum sit, postquam Christus cruci jam erat affixus? ℞. Judæi raptârunt Dominum unà cum cruce usque ad fossam, cruci erigendæ destinatam: ibique funibus adhibitis crucem sublevârunt, & in fossam impetuosè cadere permiserunt, omnemque dolorem hâc concussione renovârunt. *S. Anselm.*

S. Flavia Virgo, & Martyr, germana Soror Placidi Martyris, laqueo adjudicata, vestibúsque à Mamucha Tyranno spoliata, Masculo pectore edixit: *Ego non tantùm nuditatem corporis sustinere parata sum, sed etiam gladium, & ignem propter eum, qui pro me denudari, flagellari voluit, & crucifigi. In vita.* Hoc fœmina! an & tuus erga JESUM amor tanta ausit?

Sancta Virgo, & gloriosa Martyr Flavia! impetra mihi illud primum & summè necessarium, ut neque ullius creaturæ amor, neque timor me à JESU meo, separet viventem aut morientem. Et Tu cumprimis -- O pijssima Virgo, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, injuriam aut damnum quodcunque mihi illatum, seposito omni spiritu vindictæ, offeram Christo crucifixo.

In omnibus virtutibus, & bonis moribus, propone semper clarissimum speculum, & totius sanctitatis perfectissimum exemplar: scilicet virtutes & mores filij DEI Domini nostri JESU Christi. *S. Bonav.*

Q. Quando copiosissimus sanguis emanare cœperit è vulneribus Salvatoris? ℟. Plagarum meatus per adactos clavos antehac obstructi erant: verùm cruce in altum erectâ: omnia vulnera propter ponderositatem corporis, effuderunt, non jam guttas, sed rivos sanguinis. *S. Anselm.*

S. Sophia, nobilis, & ſanċta Matrona, dum filium ſuum Clementem Ancirenſem ad tribunalia Tyrannorum ob fidem rapiendum audiret, *Fili, inquiebat, fili chariſſime! magna à te fortitudo deſideratur. Milleni Satanæ ſatellites in te evocabuntur, & innumera genera tormentorum, ſed te infractum volo. Ego quidem te in hunc mundum produxi corpore: Chriſtus autem regeneravit Spiritu; cognoſce, quæſo tuum Patrem, DEUM omnipotentem, qui te unigeniti ſui JESU Chriſti ſanguine redemit, & de morte transtulit ad vitam; Nihil in te poterit Tyrannorum immanitas, ſi mentem tuam JESU Crucifixo alligaveris.* O felicem adeò ſanċtæ Matris filium! Quantum proſunt prolibus Parentes pij & ſanċti, tantum obſunt mali & perverſi.

Precibus & meritis ſanċtæ Sophiæ confirma me, bone JESU, gratiâ tuâ in proſperis & adverſis, in vita & in morte. Et Tu, &c. - - O *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, examinabo me, an pro ſalute v. g. filiorum, familiæ, aliorúmque meæ curæ commiſſorum debitam hucúsque curam & ſollicitudinem impenderim.

Si tentationum ſentis aculeos, exaltatum in ligno ſerpentem æneum intuere, & ſuge non tam vulnera quàm ubera Crucifixi. *S. Bern.*

Q. Quare Chriſtus mortem elegerit adeò ignominioſam? ℟. Propter exemplum virtutis, atque ut diſcipuli ejus, non modò mortem non timeant, ſed nec ullum genus mortis licèt infame perhorreſcant. *S. Aug.*

B. Bona Vita, Tertij Ordinis S. Francisci, inter continua virtutum & pœnitentiæ opera, orationi, & præsertim assiduæ Crucifixi JESU contemplationi ita erat immersus, ut sæpius, quid circa se ageretur, omnino nesciret; tantùm proinde etiam favoris meritus est à JESU crucifixo adeò sibi dilecto, ut adhibito sanctæ Crucis signo infirmos sanaret, dæmonia fugaret aliáque vivus & mortuus admiranda patraret. *Wading.* Adeò gloriosos facit DEUS, quibus nulla alia gloria, nisi in cruce.

B. Bona Vita esto & mihi in JESU crucifixi amore Magister, impetra, ut mihi signum S. Crucis sit, & in omni tentatione præsidium, & in supremo mortis agone solatium. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, cùm Unigenitus DEI filius hoc mense sit cruci affixus, quotidie ejusdem renovabo memoriam, recitando Litanias de Passione Domini, vel Officium de S. Cruce.

Si centum annis, etiam flexis genibus DEUM oremus, non sumus digni, ut crucem vel unicam accipiamus. *S. Henr. Suso.*

Q. Quare Christus elegerit mortem crucis? ℟. Contraria contrarijs curantur, quidquid Adam ex arboris ligno accipiens perdidit, Christus in cruce invenit. *S. Aug. & Tho.*

B. Elisabetha à S Jacobo, Hispana, dolores, quos Christus Dominus pro mundi Redemptione in cruce est perpessus, sentire cupiebat ardentissimè. Et ecce! exaudita est oratio illius: Ulcus grande illicò enatum ei attulit uberrimam patiendi, & merendi materiam, gravissimos tamen hos dolores læta tulit, donec tandem in assistentia Angeli sui Tutelaris, liquidissima inter solatia Spiritum suo redderet Creatori. *Conzaga Hist. Seraph.* quantùm sentis crucem, tantùm senties unctionem.

Impetra mihi B. Elisabetha, ut JESU crucifixi amor in dies magis in corde meo crescat, nec unquam amplius in mortem usque refrigescat. Et Tu cumprimis - - O pijssima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, & diei mortis meæ, & Vos, ô beatæ in cœlis animæ &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, devotionem heri inchoatam continuabo & dum tristis est anima Christi usque ad mortem, ab omni risu, & cachinno abstinebo.

Dormiant illecebræ corporis, vigilet cordis prudentia, membra tua redoleant crucem Christi. *S. Ambros. tom.* 3. *ex hort. ad Virg.*

Q. Cui similis est forma Crucis? ℟. Forma crucis est simillima figuræ hominis brachia sua extendentis. *S. Thom.*

B. Aldegundis è Regia Francorum ſtirpe oriunda, caſtiſſima JESU Crucifixi Sponſa optabat, unicè cum Chriſto JESU, qui amore ſalutis noſtræ mortuus eſt in cruce, ſanguinem fundere, eíque in cruce configi: contumelias aliquando paſſa, cùm non nihil angi cepiſſet, audivi vocem Angeli: Ecquid te turbat Virgo malevorum loquax invidia? ſanguinem pro Chriſto fundere parata es, & contumelioſa nondum verba concoquere non ſcis: Sponſus & Judex tuus in alto eſt, quid tu terram aſpicis? Ex eo tempore Aldegundis mutata in aliam longè adhuc graviora pro Chriſto pati deſiderabat. *In vita.* In quanto pretio tunc erat aliquid poſſe pro DEO pati? ô tempora! ô mores!

O utinam B. Aldegundis tua ſancta veſtigia ſequar, & JESUM crucifixum moribus & factis in me exprimam, tum in proſperis tum vel maximè in adverſis, tum in vita, tum præſertim in morte. Et Tu cumprimis -- O *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, proſequar devotionem quam cepi, & cum JESU in monte Oliveti orante, preces meas devotè, attentè, cum magna humilitate, & conformitate voluntatis meæ cum Divina perſolvam.

Cùm infeſti ſunt adverſarij, tum illis impares ſenſeritis veſtras vires, ſine mora currite ad foramina petræ ad vulnera Redemptoris.

Q. Quare Chriſtus mori voluerit morte adeò *doloroſa*? R. Ut quod contaminavit gulæ oblectamentum, reformaret per crucis tormentum. *S. Tho.*

S. Casimirus, Casimiri Regis Poloniæ Filius in Christi contemplanda Passione assiduus; Cujus imitandi studio, teneros artus aspero domabat cilicio, vigilijs extenuabat &c. Sanctè vitæ cursum consummaturus lectô spretô Regiô, dura curabat humo, nolens quietem capere in lecto, cùm intueretur JESUM morientem in cruce. *In vita.* Nec in Aulis desunt Sanctorum Exempla, quæ & admiremur, & imitemur.

Per Intercessionem S. Casimiri, ô JESU fili DEI vivi! miserere mei: ne abjicias me, qui credo in te, ne repellas me, qui unicè spero in te, ne permittas me separari à te, qui sincerè amo te, & te unum amare desidero in æternum. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, iterandæ erunt Litaniæ, &c. & calicem, quem miscuit mihi Pater Cœlestis, resignato animo acceptabo.

O Crux admirabilis, evacuatio vulneris, restitutio sanitatis. Ità canit Ecclesia.

Q. Quare Christus noluerit lapidari, aut gladio percuti, sed potius crucifigi? ℟. Non lapides aut ferrum, sed crucem elegit Dominus, utpote, quæ levi motu manûs exprimitur, & nobis servire potest ad repellendas inimici versutias. *S. Aug.*

B. Antonius de Roa, Indorum Apostolus, ex devotissima veneratione prodigiosi Crucifixi, qui Burgis colitur, animos concepit, ut in Indias abiret; abijt, & ibidem non tantùm domi, pedes Crucifixi uberrimis lacrymis irrigavit, sed etiam ut debitam cruci Reverentiam conciliaret, sæpius publicè coram crucifixo se flagellavit, à socijs insuper colaphis cædi, conspui, convicijs onerari efflagitavit. *Lyr.* Quantùm quæso in multis refrixit charitas JESU Crucifixi! si frigeas ipse; quomodo alios accendes.

B. Antoni! proximorum salutis Zelator ardentissime, impetra mihi dulcissimum illum JESU Crucifixi amorem, ex quo omnis amaritudo mortis mihi suavis reddatur. Et Tu cumprimis - - O pijssima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, & diei mortis meæ, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, orabo Litanias vel Officium, & dum JESUS Judam Proditorem adeò mansuetè alloquitur, ego quoque eundem imitabor, agendo cum ijs, qui me oderunt.

Quis pati renuat patiente Domino? *S. Laur. Just. de Cast. Con. cap.* 8.

Q. Quare in alto voluerit Christus mori? ℟. Quia per hoc quòd in alto moritur, ascensum nobis parat in Cœlum. *S. Chrys. & S. Tho.*

S. Coleta Virgo, JESU Sponsi sui amore ardua quæque ferre, imò omnes Martyrum cruciatus experiri desiderabat, & profectò voti compos est facta: tot Martyria videtur sensisse, quot Martyres Cœlum numerat: mota erat adhoc, exemplo Salvatoris, qui omnes cruciatus suos ei recensebat. Doloribus JESU crucifixi meditandis adeò erat intenta, ut sæpè numerô ex vehementia compassionis, manus, pedes & latus suum clavis, & lancea configi sentiret, imò aliquando integro triduo extatica, Dominicæ inhæreret Passioni. *Wading.* A tam præcelsis cogitationibus, pijsque desiderijs Filiorum DEI, quàm procul distamus.

Ora pro me S. Coleta JESUM Crucifixum, ut ex assidua Passionis Dominicæ memoria, discam cum animi lætitia portare adversa, eáque velut pretiosas S. Crucis particulas æstimare, amare, & desiderare. Et Tu &c. - - O*f*. 1.

Ad quod impetrandum, juxta factum meum propositum, venerabor JESUM crucifixum, & dum ille innocens iniquè accusatur, me reum coram DEO & Conscientiæ arbitro sincerè profitebor, sepositâ omni simulatione, aut verecundiâ perniciosâ.

Hæc tecum quandoque perpende, Christus in summa inopia, ego in opulentia? Christus in cruce & dolore, & ego in delicijs? *Petr. Fab.*

Q. Quare mortuus sit Christus morte adeò *violenta*? ℟. Ut ostendat, quia Regnum Cœlorum vim patitur. *Pacciuch.*

S. Thomas in enodandis ſacrarum litterarum difficultatibus, ſemper ad fundendas coram Crucifixo preces recurrit, & quod ſcripſit, non tam labore ſuo comparavit, quàm divinitùs traditum accepit. Neapoli JESU Crucifixi vocem audivit: *Bene ſcripſit de me Thoma? quam ergo mercedem accipies?* cui ille: *non aliam, Domine, niſi teipſum.* Ad infame probrum tentatus, in genua provolutus exclamavit: *Ne ſinas quæſo Domine JESU & ſacratiſſima Chriſti Mater Maria, ut me tam immani ſcelere obſtringam. In vita.* Quot ſunt, qui pro mercede ſua non JESUM quærunt, ſed vanitatem, mendacium.

S. Thoma Doctor Angelice, precibus tuis id mihi impetra, ut tam in vita, quàm in morte JESUS crucifixus me protegat, apud quem tu olim in præſentiſſimo animæ tuæ diſcrimine tutiſſimum reperiſti aſylum. Et Tu cumprimis -- O piiſſima &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, dicendæ erunt denuò Litaniæ vel Officium de S. Cruce, & dum JESUS alapa cæditur, oris & linguæ vitia ſeriò emendare ſtudebo.

Hæc mihi in ore frequenter, ſicut vos ſcitis, hæc in corde ſemper, ſicut DEUS ſcit, hæc mea interim ſublimior Philoſophia, ſcire JESUM, & hunc Crucifixum. *S. Bern.*

Q. Quare voluerit Chriſtus mori, & quidem morte adeò probroſa? ℟. Ut doceat nos caducam mundi hujus gloriam vilipendere, & ad veram gloriam toto corde anhelare.

S. Joanni DEI, B. Virgo cum S. Joanne Apostolo comparuit, ejúsque vertici ſpineam coronam impoſuit dicens: mi Joannes! Filius meus crucifixus eſt: & tu per multas ſpinas, per cruces, & per adverſa multa tranſire debes, ut placeas filio meo crucifixo: cui Vir ſanctus repoſuit: ô Virgo, roſæ floréſque mihi erunt, omnes illæ tribulationes, quas tua benedicta manus mihi impertita fuerit. *Lyr.* Quàm pretioſæ ſunt ſpinæ & cruces, quæ nos ſimiles faciunt DEI Filio, JESU crucifixo.

S. Joannes, commenda me JESU Crucifixo, ut animum meum ſuâ gratiâ confirmet, medias etiam inter cruces, & adverſa. Et Tu cumprimis -- O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, promiſſum orationis penſum perſolvam, & dum JESUS veſte albâ indutus irridetur, non recedam ego à virtutis ſemita, licèt alij me rideant, exſibilent, & contemnant.

Experimini, videte, guſtate, quàm ſuave eſt, quàm jucundum, quàm tutùm commorari in latere Salvatoris. *S. Laur. Juſt.*

Q. Quare crux humi poſita quatuor mundi partes reſpiciat? ℟. Ut omnes ab Oriente, Occidente, Meridie, & Septemtrione protegat, ut omnes liberet, & redimat, ut omnes ubique inimicos debellet, ut omnibus ſub umbram confugientibus donet ſalutem. *S. Anſ. Baſ. Th.*

S. Franciſca Romana ob tenerrimos erga JESUM crucifixum, compatientis animi affectus, ſemper horâ nonâ, feriâ ſextâ ineffabiles in membris omnibus ſenſit dolores: & quidem tantos die paraſceves, ut morti proxima videretur. In pia Dominicæ Paſſionis contemplatione ejusdem pectori grande, & doloribus plenum vulnus inflixit crucifixus; quod tamen Beata Virgo prodigiosè ſanavit; præterea jejunijs, vigilijs, & catenis ferreis, corpus ſuum caſtigabat, nolebat enim ſub ſpinoſo capite eſſe membrum delicatum. *In Vita.* Placentne tibi hæc exempla? quid ni, & illa imiteris.

Commenda me S. Franciſca, commenda me JESU tuo Crucifixo, mihíque impetra, ut ſatagam eidem hic conformari in terris, quô frui aliquando deſidero in cœlis. Et Tu cumprimis -- O pijſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, repetam hodie preces conſuetas, & cum JESUS in Aula Herodis ſpretus, & illuſus tacet, diſcam contemptus, & injurias æquô animô ferre.

Quid tam efficax ad conſcientiæ vulnera, ad purgandam aciem mentis, quàm Chriſti vulnerum meditatio. *S. Bern.*

Q. Quid transverſa crucis latitudo ſignificet? ℟. Hæc denotat, quod manus noſtræ debeant eſſe explicatæ, & apertæ etiam ad benefaciendum inimicis. *S. Thom.*

B. Hugolinus de Mantua, eximius JESU crucifixi Domini ac Salvatoris sui cultor, & imitator, in dextero latere, vulnus apertum circumtulit; septuaginta anni post ejus obitum jam erant prælapsi, & tamen recens semper sanguis inde scaturiebat, odorem spirans suavissimum, ex quo multi cæci visum, infirmi sanitatem receperunt. *Crusen.* Quàm mirabilis DEUS in Sanctis suis!

O B. Hugoline! ardeam utinam & ego simili amore mei JESU crucifixi! Sanguinem potius è corde,& venis omnibus fundere paratus sum, antequam à bono JESU permittam me unquam separari. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, dicam preces consuetas, & dum JESUM inter flagella nudum intueor, ab omni vano, & præsertim scandoloso vestitu abstinebo.

Ama & tu JESUM Crucifixum, omni pulchritudine pulchriorem: pulcher est JESUS in utero, pulcher in præsepio, pulcher in manibus parentum, pulcher in miserijs,pulcher in flagellis, pulcher in ligno, pulcher in sepulchro. *S. Aug. in Psal. 44.*

Q. Quid longitudo crucis significet? ℟. Significat perseverantiam in bonis operibus; qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

B. Huberto Ducis Aquitaniæ Filio, necdum Christiano, medius inter cervi cornua Christus crucifixus, se coram stitit in venatione dicens: quamdiu Huberte, *quamdiu in captandis feris occupaberis? semperne oblivisceris te ideo esse creatum, ut DEUM tuum agnoscas, ames, eóque fruaris in æternum, ergone tempus saluti tuæ concessum, ita inutiliter prodigis & profundis?* His auditis quasi fulmine percussus concidit, illud Pauli identidem repetens: *Domine, quid me vis facere.* A Lamberto deinde instructus, conversionem & salutem suam prodigiosæ huic visioni retulit in acceptis. *Robert.* Et tu quàm diu? fortasse hac nocte repetent animam tuam à te.

B. Huberte, qui adeò mirabili via, dum feras venabaris, in retia Domini JESU Christi felix præda incidisti, ô utinam, & mihi per tuam intercessionem hæc eadem sors obtingat, ne amplius per avia, & devia errare, & properare pergam ad interitum. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, prosequar inchoatam devotionem, & dum JESUS flagellis cæditur, nolo delicijs, aut voluptatibus indulgere.

Totus Salvator, quantus est, & quidquid in eo est, nobis patrocinatur. *S. Ambr.*

Q. Quid *altitudo* crucis denotet, pars scilicet illa, quæ supereminet? ℟. Denotat spem, docétque illam rebus debere inniti æternis, & Divinis. *S. Thom.*

S. Gregorius Magnus, cùm in Urbe Romana multi ex ſola oſcitatione examines conciderent, multi peſtifera lue perirent, alibi non invenit remedium, niſi provolutus ad pedes JESU Crucifixi: hìc inter piè fuſas preces accepit conſilium, ut oſcitantes ſigno S. Crucis ſe ſignarent; Secutus ſalutare conſilium Pontifex, commiſſum ſibi gregem Dominicum à malo adeò gravi feliciter liberavit. *In vita.* Et vos eſtote parati, quia quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet.

S. Gregori virtute & ſcientiâ verè Magne Pontifex! trahe me poſt te in tui ſequelam, in amorem JESU Crucifixi, ut & ſupremus ille Paſtor trahat me poſt ſe, qui cùm exaltatus fuit in cruce, omnia traxit ad ſeipſum. Et Tu cumprimis - - O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, Litanijs de Paſſione Domini, vel Officio, ut heri, honorabo Crucifixum, & dum JESUS ſpinis coronatur, non coronabo ego me roſis.

Neglexit Chriſtus vitam, tu hæc vitâ etiam tuâ longè minora, vitam tibi æternam ereptura non negliges, & contemnes? *Sper. ſcript. ſell.*

Q. Quid profundum crucis indicat, Pars nempe terræ infixa? ℟. Indicat abyſſum charitatis, quâ Chriſtus dilexit nos: nullus ſiquidem poteſt ſcire, minùs verò aſſequi cogitatione quantùm nos dilexerit Dominus. *S. Thom.*

S. Euphrasia vix JESU Crucifixi effigiem tenera devotione est amplexa, illicò in ejus corde omnis amor terrenus adeò est extinctus, ut spretô Principis Sponsi Conjugio, suos castissimos amores in Religioso Claustro soli devoverit Sponso sanguinum JESU crucifixo. Ut autem tantam mundi, & carnis victoriam DEUS optimus liberalissimè præmiaret, visa est Euphrasia in Cœlos deduci ab Angelis, & à MARIA JESU Sponsi Matre Maternos inter amplexus coronâ nuptiali coronari. *In vita.* Qui coronam gloriæ in cœlis desiderat, mundum & carnem in terris vincere non recuset.

Preces S. Euphrasiæ exaudi DEUS salutaris noster, ut in nobis verus JESU Christi crucifixi amor accendatur, & omnis terrenus amor omnino crucifigatur. Et Tu &c. -- O *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, memoriam JESU crucifixi renovabo per preces consuetas hôc mense, & dum in atrio Pilati Christus spectandus proponitur, hujus aspectu me in omnibus adversis solabor.

Lignum, in quo fixa erant membra patientis, etiam cathedra fuit Magistri docentis. *S. Aug.*

Q. Quales virtutes nos docuerit Christus per mortem crucis? ℟. Extremam humilitatem, obedientiam, paupertatem, invictam patientiam, longanimitatem, perseverantiam usque in finem, præcipuè verò immensam illam charitatem, dum pro omnibus etiam suis Crucifixoribus mortuus est, & oravit ad Patrem.

S. Macedonius Constantinopolitanus Episcopus, Religione tanta crucem Domini nostri prosequebatur, ut non tantùm Ecclesiam suam frequentissimè commendaret JESU crucifixo, sed etiam vitâ functus, cùm jam exanime corpus tumulo esset inferendum, claro, & illustri prodigio fronti suæ Crucis signum impressit, ut orbi pateret, quantùm in vita amaverit crucem & JESUM crucifixum, *In vita.* A mortuis viventes discite! ô quàm multi crucem, & Evangelium Christi erubescunt! verbis JESUM Crucifixum profitentur, factis negant.

Assiste mihi, S. Macedoni, præsertim in agone supremo, ut JESUS Christus per signum S. Crucis à bestijs præparatis ad escam liberet animam meam confitentem sibi. Et Tu cumprimis - - O pijssima Virgo, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, devotionem inchoatam prosequar, & Crucem bajulanti Domino piô affectu hodie cômpatiar, utpote, qui tulit iniquitates nostras.

Qui Domini Crucifixi Passionem celebraturi sumus, reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis ipsi faciamus. *S. Aug.*

Q. Quare Christus infami aliàs Cruce, utitur velut instrumento Redemptionis? ℟. Ut confundat mundi sapientiam, & sic tantò admirabilior esset humani generis Redemptio, dum Salvator per patibulare lignum sibi gloriam, mundo autem procurat salutem.

S. Longinus ſacrum latus pendentis de cruce Salvatoris aperuit, & per emanantem ex ſanctiſſimo vulnere ſanguinem, & aquam tam oculorum, quàm fidei lumen accepit, ac per Apoſtolos baptizatus, & ſancti amoris vulnere ſauciatùs, eum, quem priùs lanceâ transfixit, adeò tenerè amavit, ut nec crucem Domini ſine lacrymis potuerit intueri. Poſt vitam diu in ſolitudine transactam, tandem Epiſcopatûs honorem, & Cæſareæ in Cappadocia Martyrij obtinuit coronam. *Greg. Naz.* Videbunt quidem aliquando multi, quem transfixerunt, ſed ſerò nimis.

Domine JESU Chriſte, qui ex ſanctiſſimo lateris tui vulnere aquam & ſanguinem profudiſti, per merita ſancti Longini te obſecro, infunde cordibus noſtris tui amoris affectum, ut te in omnibus, & ſuper omnia diligentes in æterna beatitudine potemur torrente voluptatis. Et Tu cumprimis - - O &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, pergam ùt cœpi dicere Litanias vel Officium &c. & dum JESUS veſte exuitur in Calvariæ monte, exuam ego veterem hominem, & malas conſuetudines.

Bonum aurum eſt ſanguis Chriſti, dives ad pretium, profluens ad lavandum omne mundi peccatum. *S. Ambroſ. in Pſal.*

Q. Quid Titulus Cruci inſcriptus exprimat? ℟. Nomen, & Patriam Chriſti, & cauſam mortis.

S. Joannes de Incontris inter paternæ Domûs delicias enutritus ex varijs vitæ monasticæ incommodis in profundum animi mœrorem incidit, & jamjam redire in sæculum meditabatur, verùm comparuit ei Christus, & detectô SS. lateris vulnere, *fili*, inquiebat, ***ubi cibus tibi acidior, lectus durior, molesta fuerint vigiliæ, &c. ingredere vulnus hoc lateris mei, & illicò dulcescent omnia.*** Monenti obtemperavit Joannes, & superabundans solatijs in Religione vitam sanctè consummavit. ***Laur. Scalabon.*** Qui Filus DEI est, non abjicit crucem, quam suscepit.

Impetra nobis B. Joannes à JESU crucifixo, ut qui sacrosancta ejus vulnera venerando, & contemplando prosequimur, per hæc ad gaudia æterna pervenire mereamur. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, præter solitas preces, dum sacræ Christi manus cruci affiguntur, ad nihil illicitum manus meas unquam extendam.

Contra te apparebit Christus, sua vulnera contra te allegabit, clavi de te conquerentur, cicatrices contra te loquentur, crux Christi contra te perorabit. *S. Joan. Chrysost.*

Q. Quibus verbis conceptus fuerit Titulus crucis? ℟. Patet id ex Evangelio: Erat autem scriptum, JESUS Nazarenus Rex Judæorum.

S. Gertrudis singulis ferijs sextis, pro impetranda felici morte, sepositis omnibus alijs, sola soli DEO vacare, & sibimetipsi, quasi jam cum morte luctanti persolvere omnia pientissimè consuevit: Tantô erga JESUM crucifixum ardebat amore, ut & à Christo intimè amari mereretur, & prodigioso lucis radio (qui ex latere JESU Crucifixi promicabat) velut igneo amoris telo sauciaretur. *In vita.* Non sine vulnere suos relinquit amor divinus.

Vulnera cor meum spiculo amoris tui, ô JESU crucifixe! & per merita S. Gertrudis, esto mihi præsertim in morte propitius, ô clemens! ô piè! ö dulcis JESU! Fili DEI, & MARIÆ! Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe; Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, & diei mortis meæ, & Vos, ô beatæ in cœlis animæ, quondam &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, venerabor hodie sanctissimum vulnus cordis JESU crucifixi.

Per omne, quod agimus, crucifixi nos Præceptoris discipulos demonstremus. *Petr. Dam.*

Q. Quare Christus, licet in Bethlehem sit natus, tamen dicatur Nazarenus? ℟. Quia in Nazareth fuit educatus, ideò ex Nazareth, velut patria sua, *Nazarenus* vocabatur.

S. Canutus Rex Angliæ & Daniæ (cùm quidam ex Ministris Regiam ejusdem dignitatem, adulando extolleret, eúmque *terræ, marisque Dominum* deprædicaret) ferre non potuit adulatorem, sed reposuit: *Unus Rex est Pater Domini Nostri JESU Christi, cum quo ille regnat, cujus nutu reguntur omnia; hunc veneremur, & Regem appellemus, hunc Cœli, & terræ, Marisque Rectorem profiteamur*; Vertici deinde Christi Crucifixi Regiam coronam imposuit, nec unquam amplius hoc usus est capitis ornamento. *In vita.* Felicia sub tali Rege Regna, qui se subditum Regis Regum, verbô & factô profitetur.

S. Canuti Regis preces exaudi ô Rex Regum JESU Crucifixe, qui regnas à ligno crucis; exaudi quoque gemitus meos, humilis servi tui! Tu ô JESU! tota es fiducia mea, tu es tota ratio spei meæ, tu, ô JESU! es unicus amor meus; tu es, & tu eris in vita & in morte Rex meus, Dominus meus, & DEUS meus, DEUS meus & omnia. Et Tu cumprimis - - O &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, præter consuetam devotionem hodie JESUM crucifixum tanquam Regem cordis mei adorabo.

Mi JESU crucifixe, te testem habeo: nihil me unquam præter te petijsse. *S. Edmund.*

Q. Quænam fuerit præcipua causa mortis? ℟. Judæi quidem multas alias causas adducebant: præcipuam tamen allegabant, dicentes: quia hunc invenimus dicentem se Regem esse.

XIX. MAR-

S. Joseph de Domo David Vir Justus, Fidelis JESU Christi Nutritius, Castissimus castissimæ Virginis Sponsus, vitam vixit quidem solatijs plenam, sed & plenam dolore animam ejusdem, Simeonis gladius non minùs transfixit, quàm MARIÆ; quemadmodum veteris Testamenti Josepho data est intelligentia somniorum, & ex his, notitia futurorum; ita S. Josephus factus est conscius omnium Christi dolorum, & particeps Cœlestium Sacramentorum. Etiam dulcissimi JESU Nutritium oportet esse Socium doloris.

S. Josephe fidelis JESU Christi Nutrice, SS. Virginis MARIÆ Sponse, precibus tuis effice, ut in assistentia tua, in Materno Virgineæ Matris MARIÆ amplexu, in vulneribus JESU Christi, obdormiam in Domino, & requiescam. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vosque omnes Sancti & Sanctæ DEI, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, in singularem Patronum hodie eligam S. Josephum, ut me præsertim in agone ultimo commendet JESU crucifixo.

DEUS meus in cruce pendet, & ego voluptatibus operam dabo? *S. Bern.*

Q. Quot linguis scriptus fuerit titulus crucis?
℟. Linguis tribus; videlicet Hebraicâ, Græcâ & Latinâ.

S. Benedictus, Magnus ille tot, tantorúmque Filiorum Patriarcha, verè dilectus Domini, gratiâ & nomine Benedictus, præ omnibus piè colebat, & ardentissimè diligebat JESUM Crucifixum. In Eremo, cui deinde *à S. Cruce* nomen obtigit, unica & pretiosa ejus supellex erat JESUS, & hic Crucifixus. Ex assidua hujus contemplatione ita profecit, ut Spiritu DEI plenus, Regulas omnibus numeris absolutas scriberet. Imperatores, Reges, Principes, Illustres sine numero viros in sui sequelam traheret, & mundum libris, Ecclesiam optimis moribus, & virtutum Exemplis, Cœlum Sanctis repleret. *Sand.* Sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Per intercessionem & merita S. Benedicti, ô JESU crucifixe Redemptor divinissime, doce nos ita transire per hæc temporalia, ut non amittamus æterna, sed audire aliquando mereamur: Venite benedicti! Et Tu &c. -- O *f.* 1.

Ad quod impetrandum, hodie per diem incipiam, & claudam petendo à JESU Crucifixo benedictionem, cum profundissima S. Crucis adoratione.

Omnes cogitationes, & affectus mentis commutabo, jactans omnem cogitationem in cor Domini mei JESU. S. *Bern.*

Q. Quare Pilatus voluerit his tribus linguis scribi titulum crucis? ℟. Ut Judæi, qui ex omni natione ad festum paschæ concurrebant, causam mortis Christi intelligerent.

B. Arſenius, omni Sabbatho ab occaſu ſolis, usque ad auroram Dominicæ, in memoriam JESU crucifixi orabat, devotè brachijs in crucis formam extenſis, & quidem tantâ Spiritûs dulcedine in dilecti ſui contemplatione affluebat, ut ſæpius in extaſim raptus, ex amoris, & piæ erga Chriſtum compaſſionis vehementia, jam omninò expirâſſe videretur. *In vita.* Anima nempe magis eſt, ubi amat, quàm ubi animat.

O JESU crucifixe, per pia B. Arſenij merita eſto meus in tui amore Magiſter, ac doce me inter intenſiſſimos amoris, & ſanctæ compaſſionis affectus vitæ curſum conſummare. Et Tu cumprimis -- O piiſſima Virgo, àmaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præſertim hodierni, & diei mortis meæ, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, hodie pro augmento cultûs erga JESUM crucifixum Litanias de S. Cruce perſolvam.

Fratres, ut à peccato ſanemur, Chriſtum crucifixum intueamur, quomodo, qui intuebantur ſerpentem æneum in deſerto non peribant, ſic qui intuentur fide Chriſti mortem, ſanantur à morſibus peccatorum. *S. Aug.*

Q. An ſtatim in Pilati Prætorio, fuerit hic titulus cruci affixus? ℟. Videtur primò affixus fuiſſe in Calvariæ monte.

S. Achas adhuc parvulus Matrem vaniculam in templo orantem, ſic alloquebatur intentô in Crucifixum digitô: *Intuere*, ajebat, *Mater! Intuere JESUM in Cruce nudum, ſanguine rubentem, tu verò in ejus contumeliam pretioſis his veſtibus ornata incedis: cave Mater; ne pro rubore veſtium, ignem æternum merearis.* Efficax erat hæc exhortatio parvuli: Mater abjectô omni ornatu muliebri, vitam inſtituit ſanctiorem. *In vita.* Quàm multi filij habent tales Matres, quàm paucæ Matres tales habent filios hortatores.

S. Achas, impetra mihi, ut poſthàc, omnes mundi hujus illecebras, pompam, & vanitatem generoſô animô deſpiciam; unicéque & ſuper omnia ſeriò & ſincerè deſiderem, vitâ & moribus imitari JESUM, & hunc crucifixum. Et Tu cumprimis - - O pijſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, nec quidem oculô dignabor vanitatem, & pompam hujus mundi.

Intueamini diligentiſſimè lateris, manuum, pedúmque fixuras; apertæ ſunt, intrare ne timeatis, intus eſt latitudo immenſa, deliciæ inæſtimabiles, & pacatiſſima quies. *S. Laur. Juſt.*

Q. Quo ordine linguarum ſcriptus fuerit titulus crucis? ℟. Suprema erat Hebraica, inferior Græca, infima erat Latina, uti patet ex titulo Romæ aſſervato.

B. Edburga Trimula Eduardi Regis Filia, licèt Parens, mentem parvulæ exploraturus, hinc mundum muliebrem, inde proponeret Crucifixum, contemptis rebus omnibus, prælegit JESUM crucifixum, eúmque innocentiſſimis manibus complexa, ſuaviſſima inter baſia tanto adoravit pietatis affectu, ut & Rex, & tota Aula in lacrymas ſolveretur. *Petrus de Nat.* Scilicet: vanitas vanitatum, & omnia vanitas, præter amare JESUM & hunc Crucifixum.

Ora pro me B. Edburga, ut avertam oculos meos, ne videam vanitatem, impetra mihi, ut in mortem usque, JESUM Chriſtum Crucifixum, ejúsque Evangelium, & Doctrinam, quam filij tenebrarum reputare ſolent errorem & ſtultitiam, nullibi locorum erubeſcam. Et Tu cumprimis - - O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, hodie ſuppoſitô omni reſpectu humanô aliquem pietatis, humilitatis, aut mortificationis actum exercebo.

In ampliorem mentis ſtuporem adducet te unica Chriſti Paſſio, quàm omnium rerum ſpeculatio. *Thom. Kemp.*

Q. Quis Evangeliſtarum hunc ordinem idiomatum exactè retulit? ℞. S. Joannes: uti patet ex illius verbis: Erat autem ſcriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè.

B. Henricus Suso, Magnus Magni Patriachæ Dominici filius, crucifixo JESU erat addictissimus; gravi mœrore oppressus pendulum è Cruce Christum, habuit Consolatorem: *quid hic*, inquiebat Christus, *quid hic in otio temetipsum affligis & consumis? cur non surgis, & Passionem meam usque ad mortem crucis piè recogitas?* fecit, & illicò respiravit, & posthàc Henricus semper in mortem usque, animo erat læto & tranquillo. *In vita.* Passio nempe Domini præsentissimum est omnis remedium mali.

B. Henrice, in cujus corde nomen JESU scriptum reperiebatur, commenda me JESU tuo Crucifixo, ut vox mea ultima, non alia sit, nisi JESUS; ultimum cordis mei respirium nihil sit aliud, nisi intensissimus perfecti amoris actus erga JESUM, & hunc crucifixum. Et Tu cumpris - - O pijssima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, quoties hodie nomen JESU audivero aut pronunciavero, reverenter caput inclinabo.

Semper ubique & in omnibus Dominus noster JESUS Christus pro peccatis nostris crucifixus occurrat. *S. Bonav.*

Q. Cur lingua Hebraica primo loco sit posita? ℟. Quia erat lingua patria, in Judæa.

HOdie à ſancto Archangelo Gabriele MARIA gratiâ plena ſalutatur, hodie humilis Ancilla Domini Mater Filij DEI declaratur. Hodie juxta communem Sanctorum Patrum ſenſum, JESUS Chriſtus Homo, DEUS in ligno crucis pro redemptione humani generis immolatur. Hodie JESUS Chriſtus Diſmam latronem pœnitentem verbis illis conſolatur: Hodie mecum eris in paradiſo. Hæc eſt dies gratiæ, hæc eſt dies miſericordiæ, hæc eſt dies ſalutis.

Per glorioſa merita Sanctiſſimæ tuæ Matris MARIÆ, per interceſſionem Sancti Gabrielis Archangeli, per preces ſancti Diſmæ pœnitentis, memento mei Domine JESU Chriſte crucifixe, præſertim in hora mortis meæ: In flagella paratus ſum, imò etiam ad crucem, modò illa mihi ſcala ſit ad regnum cœlorum. Et Tu cumprimis -- O pijſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, præter Litanias de paſſione Domini, hodie ſingulis horis juxta exemplum Latronis pœnitentis, petam ſuppliciter, ut in regno ſuo mei meminerit JESUS crucifixus.

Singulæ plagæ grandem vocem habent. *Rupert.*

Q. Cur lingua latina in titulo crucis infimo loco poſita fuerit? ℟. Quia minimè erat nota Judæis.

S. Eulalia duodecim annorum puella, ultrò se stitit Tyranno: hiantibus undique per totum corpus plagis, in Crucifixum JESUM defixa: *Nunc*, inquiebat, *ô mi Sponse & Redemptor! quàm bene resplendet in me per ista vulnera, viva imago tui. Characteres isti in corpore meo, per sanguinem meum exarati, quàm ad vivum mihi exprimunt, & repræsentant ipsam tuam Passionem.* Tandem flammis injecta candidæ instar columbæ visa est in cœlum evolare. *In vita.* Olim etiam in puellis teneris pectus virile: Pudeat viros, quibus sæpe inter adversa, animus mollis est & effæminatus.

S. Eulalia, per tuam intercessionem, habeamus accessum ad Sponsum Virginum, ad Regem Martyrum, virum dolorum, JESUM crucifixum. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, proponam hodie rectè semper agere, & rectè agendo, nec persecutiones hominum, nec mortem ipsam timere.

Hoc sit jugiter fixum in pectore tuo, quomodo derisus, & flagellatus fuerit JESUS, quomodo sanguine perfusus, quomodo crucifixus. *B. V. ad S. Brigit.*

Q. Quomodo totus crucis titulus fuerit exaratus? ℟. Voces Græcæ & Latinæ, Hebræorum more, id est, inverso ordine nempè à dextra ad sinistram erant scriptæ. *Patet ex Tit. Romæ asserv.*

S. Leocadia Virgo nobilissima, postquam gravissimos S. Eulaliæ cruciatus intellexerat, illicò in genua provoluta est, & digitis suis, durissimæ petræ, sanctæ crucis signum prodigiosè impressit; seque ad simile Martyrium pro Christo JESU subeundum animavit: Verùm in ipsa oratione concidit, & in affectuosissima crucis adoratione exspiravit. *Macarius.* Parùm verba, plurimùm possunt, virtutum exempla.

S. Leocadia, doce me, verum JESU crucifixi amorem, ut & ipse vicissim per sanctam crucem suam, me viventem protegat & morientem. Et Tu cumprimis - - O pijssima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vòsque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, vel in rosario, vel in reliquiario, crucem semper aliquam gestabo in memoriam JESU crucifixi.

Sicut impossibile est, tractare farinam, & inde nullum pulverem contrahere, sic esse non potest, ut aliquis cum devotione, quamvis parvâ, Dominicæ Passioni vacet, & nullum fructum inde percipiat. *Ita Salvat. S. Gertrudi. l. 3. c. 4.*

Q. Cur Latinæ & Græcæ voces in titulo crucis, inverso ordine fuerint scriptæ? ℟. Ut Judæi faciliùs legere possent, utpote Hebræorum scribendi modo assueti.

S. Robertus Salentinus imminente transitûs sui horâ, partim ad pietatem in ultima lucta excitandam, partim ad animum novo spiritu confortandum, imaginem crucifixi expetijt, eámque pientissimè intuitus, brachia sua velut crucifigendus extendit, atque in hoc corporis situ usque ad mortem perseveraverit; fidelis, ut in vita, ita etiam in morte JESU crucifixi imitator. Qualis vita, mors est ita.

S. Roberte, ora pro me JESUM crucifixum, ut ille semper sit mihi JESUS, & salvet animam meam, sítque mihi in agone meo ultimo, consolatio mea, fortitudo mea, gaudium meum, & amor meus in sæculum sæculi. Et Tu cumprimis - - O pijssima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, & diei mortis meæ, & Vos, o beatæ &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, in omni necessitate mea confidenter recurram ad JESUM crucifixum.

Habentes itaque fratres fiduciam in sanguine Christi, accedamus cum vero corde in plenitudine fidei. *Hebr.* 10.

Q. Quo idiomate Passio Domini scripta fuerit ab Evangelistis? ℟. Matthæus eandem scripsit *Hebraicè*, Joannes & Lucas *Graecè*. Marcus primùm Latinè, dein transtulit in Græcum. *Petr. de Nat.*

S. Mechtildis, insignis erga JESUM crucifixum pietas affulsit in vita & in morte. Varios hunc colendi & amandi modos, & industrias adhibebat, cultum JESU crucifixi suis suadebat virginibus, sæpius JESU crucifixi alloquio suavissimo fruita, imò etiam ipsum SS. lateris vulnus imitata est. In ipso mortis agone, nil in Mechtildis corde erat, nil in ore nisi JESUS: Toties vocatus adfuit, & sanctam hanc animam ad cœlestem gloriam, sequentibus verbis suavissimè evocavit? *Veni Benedicta! Veni! & Patris mei regnum posside: c. 25. grat. Spir.*

S. Mechtildis per sacratissima quinque vulnera JESU Christi, per omnes plagas, quas JESUS meus tulit, & per livores, quos ipse portavit, impetra mihi, ut mors mea temporalis sit mihi Janua ad vitam sempiternam. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, gratias agam JESU crucifixo pro immensis doloribus, quos pro me passus est in cruce.

O Homo! vide, quid pro te patior. Ad te clamo, qui pro te morior: Vide pœnas, quibus afficior. Vide clavos, quibus confodior.

Q. Ex quali ligno formatus fuerit titulus crucis?
℟. Videtur fuisse tabella quercina. *S. Greg.*

S. Thomasius Thienensis Episcopus, ad extrema jamjam deductus, amore JESU Christi crucifixi exæstuans, oculos primò in cœlum erexit, dein in Dominum JESUM in cruce pendentem defixit; Tandem repentè conformatis in crucis similitudinem manibus, sibi omninò ereptus, spiritum reddidit creatori. *Paul.* Sic moritur justus.

Respice in me oculis misericordiæ tuæ Domine JESU crucifixe Rex gloriæ; & per intercessionem Sancti Thomasii Episcopi concede propitius, ut in hora mortis meæ, tuæ bonitatis dulcedinem & misericordiæ affluentiam in sanctis tuis vulneribus merear experiri. Et Tu cumprimis - - O pijssima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, & diei mortis meæ, & Vos, ô beatæ in cœlis animæ, quondam JESU Crucifixo peculiariter devotæ, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, hodie Xaveriani amoris affectum devotè repetam.

Non est dolor sicut quo crucior. Et cùm sit tantus dolor exterior, intus tamen dolor est gravior, tam ingratum cùm te experior.

Q. An magnis characteribus scriptus fuerit titulus crucis? ℟. Quod ita: ut faciliùs à quovis legi potuerit.

XXXI. MAR-

S. Vincentius Sylvester ex Florentino Fullone sanctus Eremi incola, videbatur sibi sæpius audire crucifixum JESUM quasi è crucis pulpito non tam verbis, quàm vulneribus perorantem, & acerbissimos, quos amore salutis nostræ tulerat dolores exponentem. Quare non rarò adeò commovebatur animo, ut attonitus hæreret & stuperet unicè, hominum corda, amore JESU crucifixi, non penitus, ceræ instar colliquescere. *In vita*. Et tamen erga JESUM, quantum refrixit charitas multorum!

Domine JESU Christe Fili DEI vivi! per merita Sancti Vincentij, da mihi gratiam tuam, & amorem tui, & sufficit; nil aliud peto: dives sum satis. Et Tu cumprimis - - O pijssima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, optabo cum S. Augustino, ut cor meum amore JESU, vel ceræ instar colliquesceret, vel in ejus solius honorem, omninò conflagraret.

Amore JESU Christi, ne imitari te pigeat, ô Homo! quod amore tui agere & pati non puduit DEUM. *Lyr.*

Q. An litteræ scriptæ, an insculptæ fuerint titulo crucis? ℟. Romæ in templo S. Crucis in Jerusalem, ubi titulus asservatur, videntur litteræ cavatæ seu incisæ, & deinde rubro colore tinctæ fuisse. *Bosius.*

B. Hugo Cifterciensis, multùm animo perturbatus sæculum jamjam repetere meditabatur: sed ecce: B. V. eidem se stitit spectabilem, atque Christi JESU, tanta pro nobis passi, & demum in ipsa cruce pro nobis mortui memoriam in mentem revocavit; eo quidem fructu, ut Hugo meliora inierit consilia, & ad gravia quæque religiosæ vitæ onera crucésque ferendas se resolverit. *In vita.* Tanti est, bonis consilijs uti.

Per intercessionem B. Hugonis, da, quæsumus Domine JESU Christe famulis tuis salutem mentis & corporis, ut bene cœptis inhærendo, tuâ semper mereamur protectione defendi. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, à bene cœptis nunquam recedam, quæcunque tandem oriantur difficultates.

Sæpe cernebam præsentissimo mentis intuitu Christum clavis affixum in cruce pendentem, avidúsque suscipiebam stillantem supposito ore cruorem. *Pet. Dam.*

Q. Quæ gloria his tribus idiomatibus accedit ex hoc titulo crucis, his tribus linguis scripto? ℟. Hæc prærogativa; ut nimirum solis his tribus linguis, missarum solemnia fiant.

S. Franciſcus de Paula, Minimorum Parens & Inſtitutor maximus, miraculis orbi notiſſimus, tredecim annorum juvenis in ſolitudinem ſeceſſit, ibíque vitam egit ſexennio integro, qualem Chriſtus in deſerto, jejunijs, vigilijs, corporis afflictationibus carnem crucifigens. Meditatio illius aſſidua, erat Paſſio Domini, juxta cujus exemplum Ordinem inſtituit, verè palæſtram crucifixorum. Tandem nonageſimo ætatis anno, & quidem feriâ ſextâ, imò eâdem horâ, quâ crucifixus eſt Dominus, ſublatis in cœlum oculis & manibus, hæc inter verba: *In manus tuas Domine, &c.* ſanctiſſimè exſpiravit. *In vita.* Ut mala, ita & pia conſuetudo ſuos ſequitur usque in ſepulchrum.

S. Franciſce, impetra nobis à JESU crucifixo, ut qui in vita noſtra, exceſſibus noſtris inceſſanter affligimur, per JESU Chriſti paſſionem, & mortem, à morte æterna miſericorditer liberemur. Et Tu cumprimis -- O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, peculiariter horâ nonâ, qua crucifixus eſt Dominus, animam meam in ſanctiſſima vulnera commendabo.

In omnibus his mihi dilectus eſt, qui totus mihi datus eſt, pro me verè natus, pro me verè paſſus, & immolatus. *Tho. Kemp.*

Q. An totus titulus crucis, Romæ aſſervetur? ℟. Nullibi extat totus titulus.

S. Richardus Episcopus Cicestrensis in Anglia, imminente mortis horâ, primùm ad effigiem Deiparæ conversus, sæpiùs repetebat: *MARIA, Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & mortis horâ suscipe.* Dein Crucifixum suavissimè amplexus, inter pia ejusdem oscula, & MARIÆ invocationem, suavissimè obdormivit in Domino. *Lyr.* Dormi securè, si moriens obdormias in sinu MARIÆ, & in vulneribus JESU Christi.

Preces populi tui quæsumus Domine clementer exaudi, & gloriosis Sancti Richardi meritis adjuvemur, ut in dulcissimo amplexu JESU crucifixi aliquando moriamur. Et Tu cumprimis -- O pijssima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, & diei mortis meæ, & Vos, ô beatæ in cœlis animæ, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, præ omnibus alijs in toto mundo JESUS & MARIA erit mihi in pretio & amore.

Ut erga Passionem Christi amplius ferveas, intensiùs inde cogites: imò nullam horam nec diem sine ejus recordatione prætermittas. *Tho. Kemp de Pass.*

Q. Quando inventa fuerit pars, tituli crucis Romæ asservati? ℟. Anno 1492.

S. Sisinnius adhuc tener pusio feriâ sextâ, semel tantùm, materna ubera sugebat: militiam secutus, è centum & viginti prælijs victor redijt: nunquam tamen etiam inter arma, pietas erga JESUM crucifixum refrixit: gloriatus semper quod quadraginta quinque vulnera, quæ ex tot prælijs retulit, non tam Cæsaris aut patriæ, quàm DEI causâ, velut bonus miles Christi excepisset. Ex sancto milite, sanctior adhuc factus Episcopus nihil in votis habebat, quàm JESUM crucifixum privatim colere, JESUM crucifixum palàm prædicare, JESUM crucifixum assiduè imitari. *In vita.* Honores mutant mores, hic etiam in meliores.

S. Sisinnij suffragantibus meritis concede propitius JESU Christe crucifixe, ut nobis, quæ ad salutem nostram conferunt, benignus indulgeas, & per sanctam crucem tuam, mala, quæ meremur, clementissimè avertas. Et Tu cumprimis -- O pijssima Virgo, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, in omnibus circumstantijs domi forísque, retinebo memoriâ Dominum meum, & Deum meum JESUM Christum.

Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret. *Joan.* 3.

Q. Qualis coloris fuerit tabella, cui inscriptus erat titulus crucis? ℟. Erat albo colore inducta, ut eo facilius causa mortis rubro colore expressa legi posset. *Sozor. Niceph.*

S. Vincentius Ferrerius, Apoſtolus, Propheta, Thaumaturgus, DEI & MARIÆ ſervus fidelis usque ad mortem, ſua ſæpe interrumpebat ſtudia, & crucifixi JESU (in quem velut in dulciſſimum objectum ſuos oculos intendebat) ſanctiſſima vulnera exoſculabatur, eundem Judæis & gentibus prædicavit, 25000. Judæorum, totidem Saracenorum ad Chriſti fidem convertit, præter innumera aliarum animarum lucra. Zelum tantum concepit ex jugi contemplatione JESU crucifixi. Hinc animas perditas lucrari æſtuabat, utpotè quæ unigenito DEI Filio tanto pretio ſtetiſſent. Ab ipſo crucifixo mortem felicem ſibi adpromiſſam intellexit. *In vita.* Unde autem tibi tanta ſecuritas, dum adhuc periclitatur æternitas?

Ora pro me S. Vincenti, qui tot animas à tenebris ad lumen fidei, à peccatis ad pœnitentiam, à vitijs ad virtutem perduxiſti, & impetra mihi, ut & vitam, & doctrinam tuam congruâ devotione valeam ſectari. Et Tu cumprimis - - O pijſſima, &c. *f.* 1.

Ad quod impetrandum, zelum animarum exercebo, præcipuè erga omnes meæ curæ commiſſos.

Chriſtus JESUS venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, quorum ego primus ſum. 1. *Timoth.* 15.

Q. Quare Judæi noluerunt hunc titulum tolerarare? ℟. Quia invidiâ pleni, in illo legebant gloriam Domini crucifixi, propriam verò ignominiam. *Paccinth.*

VI. A-

S. Eusebius Episcopus, licèt Ariana mulier ex odio fidei ex superiore loco, tegulâ sacrum illius caput ita sauciâsset, ut mox animam agere cœperit: memor nihilominus JESU crucifixi in cruce orantis, amicos suos jurejurando obstrinxit, ne à fœmina illa, quæ tantum facinus ausa fuerat, ullam pœnam exigerent. *Niceph.* Sic vindicant Sancti, illatas sibi injurias, & vincunt in bono malum.

Exaudi, quæsumus, Domine, preces nostras, & interveniențibus meritis S. Eusebij Episcopi, culpas nostras benignus ignosce, & ab omnibus nos absolve peccatis. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, hodie adhuc, ignoscam omnibus ex corde, qui me offenderunt, & malefacta beneficiis compensare satagam.

Tam caro pretio reduxisti me de exilio, redemisti me de servitio, retraxisti me de supplicio, vocâsti nomine tuo, signâsti me sanguine tuo, ut memoriale tuum semper esset apud me, & nunquam recederet à corde meo, qui pro me non recessit à cruce. *S. August.*

Q. Quot clavis fuerit Christus affixus? ℟. Nil certi statui potest: quatuor clavos tamen admittunt ferè recentiores omnes.

B. Hermanus à primo religionis ingressu, continuam crucifixi JESU memoriam in animo fovebat: quinquies eundem profundâ corporis inclinatione revereri solitus dicebat: *Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum*: toties addidit orationem dominicam. Tantum placuit Salvatori hæc devotio, ut eum ad sugendum manantem è SS. vulnere sanguinem invitârit: suxit ille, & tantâ quidem dulcedine perfusus exclamavit: *Nihil dulcius dulcedine DEI, nihil amarius dulcedine mundi. Chron. Ord. S. Domin.* Gustate & videte, quàm suavis sit Dominus.

Intercede pro nobis B. Hermane apud JESUM Christum, ut dum unà tecum, sanctam Ejus Passionem, & crucem temporali veneratione prosequimur, perpetuo Ejusdem post mortem lætemur aspectu. Et Tu cumprimis -- O pijssima Virgo, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, ad imitationem B. Hermani quinquies adorabo crucem D. N. J. C.

In manibus tuis ô JESU descripsisti me, ut semper sit memoria mea apud te, si tamen memoria tua jugiter fuerit apud me. *S. Aug.*

Q. Quomodo ergo tot clavi in tam diversis locis reperiuntur? ℟. Partes crucis etiam fuerunt conjunctæ per varios clavos, item titulus crucis etiam clavo erat affixus: vel fortasse Judæi etiam plures clavos probarunt. Hinc oriri potuit, ut in locis varijs, tot clavi crucis honorentur.

B. Hortulana, Sanctæ Claræ pientiſſima Mater, de imminente partu multum ſollicita, ſæpius in Eccleſia coram imagine JESU crucifixi, preces fundebat: Tandem vocem Domini audivit ſolatio plenam: *Ne timeas mulier, quia lumen magnum ſalva parturies, quod ipſum mundum clariùs illuſtrabit.* Hoc edocta miraculo, natam filiolam, in Baptismo, *Claram* voluit compellari, quæ etiam deinde una cum Matre in Seraphico Ordine JESUM crucifixum, verbo, opere, & miraculis clarificavit. *In vita.* DEUS nempe non negat, quæ ritè petimus, ſed ſæpè tantùm differt, ut frequentiùs & ardentiùs petamus.

O JESU crucifixe, miſerere mei, & concede propitius, ut intercedente B. Hortulanâ, ſanctiſſimæ tuæ Paſſionis myſteria, animæ meæ ſalutaria, te miſerante reddantur. Et Tu cumprimis- - O pijſſima Virgo, amaritudine, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, omni puſillanimitate ſepoſitâ, fiducialiter in omni neceſſitate recurram ad JESUM crucifixum, quoniam illi eſt cura de nobis.

Quoties quis devotâ intentione inſpicit imaginem Chriſti crucifixi, toties reſpicitur amanter à benigniſſima miſericordia DEI. *S. Gertrud. ex Revel.*

Q. Qualis formæ aut figuræ fuerunt ſacri clavi crucis Chriſti? ℟. Erant craſſi, quadrati, habentes tuber ingens rotundum, *Corn. à Lap.*

S. Maria Ægyptiaca, in ipso festo exaltationis S. Crucis, Hierosolymis ter ab ingressu templi divinitus repulsa, ad MARIAM tandem commune peccatorum refugium conversa, aditum impetravit. Mox coram crucifixo prostrata, vitam sex supra 40. annos malè traductam, lacrymis & pœnitentiæ Sacramento expiavit, nova Magdalena ad pedes crucifixi. Paulò pòst monitu Deiparæ, recessit in eremum, & in amaritudine animæ suæ, piè inter feras recogitavit annos præteritos, quos inter homines malè transegerat. *In vita.* In peccato nihil magìs impium, quàm in eo perseverare.

O JESU Christe! qui non vis mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat; pias lacrymas Mariæ pœnitentis misericorditer suscipe, & da mihi per Ejus interventionem gratiæ tuæ indulgentiam adhuc in tempore opportuno invenire. Et tu cumprimis - - O piissima Virgo &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, seriam agam pœnitentiam de vita præterita, quia in multis offendimus omnes.

Neque scribi, neque cogitatione comprehendi potest, quantum fructum homo bonæ voluntatis, & humilis referat ex pia meditatione Dominicæ Passionis. *Blos.*

Q. Quare Christus voluerit SS. manus & pedes clavis affigi cruci? ℟. Ut satisfaceret, quia manus nostræ non erant fixæ & constrictæ, sed remissæ & dissolutæ. *Greg. Naz.*

S. Macarius, ut Christo in cruce sitienti compateretur, perpetuò sibi vini potum interdixit: Majorum imperio, si fortasse vinum degustâsset, sequenti statim die omni omnino potu abstinuit. Ad sepulchrum Christi peregrinatus est, sed ibidem ad ossa usque dilaniatus, tribúsque clavis crucifixus est. Sic invenit Dominum suum, quem peregrinus quæsivit, & cui voluit in vita & in morte assimilari. *Nad.* Omnes peregrini sumus & advenæ. Multi hìc peregrinantur, sed non sanctificantur.

Adesto Domine JESU supplicationibus S. Macarii, ut qui peregrinantes in terris, nostræ justitiæ fiduciam non habemus, Ejus meritis adjuti ad patriam perveniamus æternam. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, & diei mortis meæ, & Vos, ô beatæ in cœlis animæ, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, saltem die Veneris nihil bibam extra tempus prandii aut cœnæ.

O Passio amabilis & mirabilis, quæ suum meditatorem alienat, & non solùm reddit Angelicum sed divinum. *S. Bonav.*

Q. An fuerint clavi longi & grandes? ℟. Erant clavi, longè ultra crucis stipitem protensi. *S. Brigit.*

S. Leo Pontifex Maximus, Attilæ Regis Hunnorum terror, adeò tenerè afficiebatur JESU crucifixo, ut vix aliquid nisi de Eodem scriberet aut loqueretur. Sermones ejus, qui extant, adeò inflammant animos ad amorem JESU crucifixi, ut sicut in omnibus alijs, ita peculiariter ex his sermonibus *Magnus* meritus sit compellatus. Frequèns illius erat hæc exhortatio: *Certa atque secura est exspectatio promissæ beatitudinis, ubi est participatio Dominicæ Passionis. In Vita.* Non participat, qui à fine creationis aut redemptionis aberrat.

S. Leonis pretiosa merita benignissimus, DEUS clementer suscipiat, idque per gratiam suam in cordibus nostris efficiat, ut quo magis hora mortis appropinquaverit, eò magis in Domini nostri JESU Christi amore roboremur. Et Tu cumprimis - - O pissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, conabor hodie aliquid legere, aut scribere in honorem JESU crucifixi.

Qui aliquid ex Passione JESU legit, aut ruminat, majoris esse virtutis sciat, quàm alia spiritualia exercitia. *Blos.*

Q. Ubinam latuerunt sacri clavi post mortem Christi? ℟. Fuerunt cum cruce in terram defossi. *Secr.*

B. Leonora Virgo Granatensis, Ordinis S. Francisci ex continua JESU Crucifixi contemplatione, & lacrymis ex pia compassione fusis, omnem oculorum usum amisit. Oculos igitur suos, quibus post vitam charius nihil in terris habuit, crucifixo hilariter obtulit: sed eorum usum denuò à Crucifixo recepit. *Gonz. in Hist. Seraph.* Quàm pauci ex pijs lacrymis oculos, quàm multi per oculos, semetipsos perdiderunt.

Oculi mei semper ad Dominum, quia ipse evellet de laqueo pedes meos. Respice in me, Domine, & per merita B. Leonoræ miserere mei, quem emisti in cruce pretio magno valde. Et Tu cumprimis - - O pijssima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, & diei mortis meæ, & Vos, ô beatæ in cœlis animæ, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, hodie peculiariter oculorum modestiam observabo.

Non pro rebus temporalibus gemo, sed pro doloribus Domini mei doleo, & pro angustia Domini mei JESU Christi angor & gemo. *S. Franc. Ser.*

Q. A quo fuerint sacri clavi inventi? ℟. A Sancta Helena pientissima Imperatrice, & gloriosissima matre magni Constantini, *Niceph.*

S. Hermenegildus Leovigildi Visigothorum Regis filius, Arianâ hæresi relictâ publicè JESUM crucifixum verum DEI Filium est professus, frustra ringente Patre Ariano. Imò maluit amore JESU Christi, vincula, carceres, & mortem pati, quàm denuò ad hæresim reverti. Ipsâ paschatis nocte dum in carcere, ante crucem Domini humi prostratus jacet, per Apparitores à Patre submissos infixâ in cerebrum securi trucidatur. *In vita.* Quàm bene cum vitâ, regnum & corona temporalis perditur, ut non amittatur æterna.

Ora pro me S. Hermenegilde, JESUM crucifixum, illúdque impetra, ut fortiter & constanter in finem usque ea, quæ JESU Christo sunt placita, dictis exequamur & factis. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, & diei mortis meæ, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, hodie actum fidei firmissimæ sæpiùs coram crucifixo eliciam.

Qui diligit Domini testimonia, configit clavis carnes suas, sciens, quod vetus homo crucifixus est. *S. Ambros.*

Q. Ubi sacri clavi asservantur? ℞. Romæ, Mediolani, Treviris, Viennæ, Aquisgrani, Parisiis, Carpentorati, &c.

S. Lydvvina ita creverat in amore JESU Christi crucifixi, ut unicum esset ei solatium, & paradisus in Domini sui vulneribus commorari. His meditandis ardentissima trahebat ab imo pectore suspiria, sanguineas etiam guttas solebat lachrymari. Christus eidem sacrorum vulnerum suorum stigmata impressit. Inter morbos graves & diuturnos patientissima Virgo id unum expetiit, ut etiam juxta exemplum JESU crucifixi absque ullo hominum solatio posset mori. *Joan. Brugmannus.* Cur ergo tibi non placet pati? Corrupti palati signum est, ne dicam, reprobæ animæ indicium.

S. Lydvvina, precibus tuis adjuva nos, illúdque effice, ut in amore JESU Christi indies magis proficiamus, & post toleratas hujus vitæ miserias, promissa in cœlis prœmia feliciter consequamur. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo &c. *fol* 1.

Ad quod impetrandum, infirmos, egenos, ulcerosos ut proprias Christi patientis imagines respiciam, illisque opem feram amore JESU Christi.

Pia vita Sanctorum nunquam aliena est à cruce Christi, dum continentiæ clavis desideria carnis configit. *S. Leo.*

Q. A quo institutum sit festum SS. clavorum crucis Christi? ℟. Ab Innocentio VI. institutum est anno 1353. rogatu Caroli IV. *Lyr.*

B. Joanna de Regio, religiosum statum ingressura, cùm parentibus valediceret, non aliud ab illis sibi dari petijt nisi crucifixum, cui se totum commiserat. Huic deinde intenta studio, dum novum moliebatur monasterium, interrogata fuit, unde tanto operi necessaria suppeterent impendia: *Mecum*, reposuit, *porto JESUM crucifixum; in quo omnes hujus mundi opes & thesauri reconditi sunt. In vita.* Quid juvat habere omnia, si JESUM non habeas, in quo, per quem, à quo sunt omnia.

Exemplo tuo, B. Joanna, vilescant mihi caduca omnia: unicum animæ meæ delicium, unicus affectuum & votorum meorum scopus, ac centrum, unicus omni auro gemmisque pretiosior thesaurus, sit mihi JESUS crucifixus. Et Tu cumprimis - - O pijssima Virgo, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, si defectum aliquem in temporalibus patiar, non in querelas effundar, sed confugiam ad JESUM crucifixum.

Multa bona confert homini Passio Christi ad memoriam reducta, & quantò sæpiùs ac intensiùs de ea cogitatur; tantò dulcius sapit, & vehementius compungit. *Th. Kemp.*

Q. Quare Judæi Christum crucifixerint in medio latronum? ℟. Ut homines crederent, quod & ipse latro & maleficus esset. *Theophylactus.*

B. Mentia Avalos ex Ordine S. Francifci, Virgo erat prudentiâ, devotione, & tenerrimo in Crucifixum amore infignis. Hanc imago JESU crucifixi, quæ etiamnum in Hifpania, non procul Valentiâ, Calabazanæ colitur, fic eft allocuta: Filia! Pium me vocas; fum etenim, Tibique pius ero. *Chron. min.* Adeò pius in omnes eft JESUS, & tu toties quàm impius erga illum!

Te interveniente O B. Mentia fufcipiat exfpirantem animam meam Dominus JESUS Chriftus in numerum electorum fuorum, faciátque eam habitare cum Sanctis fuis in æternum, quia pius eft, mifericors & mifer ator Dominus, Et Tu cumprimis -- O &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, tranfiens imaginem crucifixi femper dicam: *Recordare JESU pie, quod fim caufa tuæ viæ, ne me perdas illa die, &c.*

Altare DEI eft cor tuum, in hoc altari debet femper ardere ignis fervidæ devotionis, quem fingulis diebus nutrire debes per lingna crucis Chrifti, & memoriam Paffionis. *S. Bonavent.*

Q. An gloria Chrifti magìs eluceat, quod crucifixus fit in medio latronum? ℟. Quod ita: quia fi Chriftus inter duos fanctos Prophetas aut Apoftolos fuiffet crucifixus, totus mundus hærere potuiffet dubius, cuinam prodigia, quæ evenerunt, attribuenda fuiffent, & quis illorum, humanum genus redemiffet. *Pac.*

B. Stephanus Abbas virtutibus & miraculis clarissimus, JESU patientis dolores & cruciatus uberrimas inter lacrymas sæpius expendit, suos ad imitationem JESU crucifixi verbo stimulavit & exemplo: Migrationis suæ horam divinitus intellexit: defuncti cubiculum odore suavissimo, angelico concentu, & cœlesti splendore erat repletum. Locum sepulturæ crux fulgentissima, quinque stellis irradiata, illustravit. *In vita.* Moriuntur justi, & plaudunt Angeli in cœlo; moriuntur etiam impii, & sepeliuntur in inferno.

Impetra mihi, B. Stephane! ut crux Domini mei JESU Christi, sit mihi viæ dux, & in umbra mortis sit mihi lux, quæ luceat ad vitam æternam. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, conabor imitari humilitatem, & patientiam JESU crucifixi, respiciámque sæpius illud exemplar, quod mihi in monte monstratum est.

Sanguis Abel mortem parricidæ fratris petiit: sanguis autem Christi, vitam persecutoribus impetravit. Sanguis Abel expetiit vindictam: sanguis Christi misericordiam. Ille uni nocuit: iste multis profuit. *S. Anselm.*

Q. Quale nomen erat duobus latronibus crucifixis? ℟. Unus vocabatur Dismas, alter Gismas. *Lyr.*

B. Juniperus dilectus S. Francisci discipulus orationi addictissimus, præsertim verò Dominicæ Passionis contemplationi. Crucem ligneam ubique secum gestabat, nec sine hac vivere volebat, neque mori. Desiderabat morte despicabili mori, & in sterquilinium abjici: dicens: *Majora in cruce pro nobis peccatoribus, Christus innocens & impollutus pertulit opprobria, quàm facilè à nobis possit explicari. Et nos tamen nil desideramus aliud, quàm in vita & post mortem honorari.* Morti proximus in amplexu crucis, dormienti similior quàm morienti, suavissimè exspiravit. *In vita.* Quàm dulcis & secura requies cum cruce & JESU crucifixo.

Intervenientibus B. Juniperi meritis, sacrosancta Crux Christi, temporalis vitæ subsidia nobis conferat & æternæ. Et Tu cumprimis - - O pijssima Virgo, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, saltem tempore morbi, nunquam à me dimittam effigiem crucifixi.

Si DEUS pro nobis, quis contra nos? Quis accusabit adversùs electos DEI? DEUS, qui justificat; quis est, qui condemnet? Christus JESUS, qui mortuus est - - interpellat pro nobis! *Rom.* 8.

Q. Quare alter latro perijt? ℟. Quia eundem nec charitas & patientia Christi, nec prodigia moverunt, &c. sed mansit obstinatus. *Pacciuch.*

S. Wernerus triduô integrô à Judæis excruciatus, & cum JESU Salvatore crucifixus, è cruce abijt ad paradisum. Innocenti ejusdem cadaveri, accensis multis facibus, Angeli parentârunt. Unicum & liquidissimum in tormentis & morte solatium erat, quod cum JESU Christo in cruce moriatur. *In vita.* En: quanta in puero virtus! Et viri horreant, aut fugiant crucem?

Ora pro me, S. Wernere, JESUM crucifixum, ut ponat crucem & mortem suam inter animam meam, & judicium suum, ut per crucem JESU, velut per scalam Jacob, felix ascendam ad domum beatæ æternitatis. Et Tu cumprimis -- O pijssima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, delicta juventutis meæ hodie deprecabor JESU crucifixo.

Bonus servus pretium studet reparare Domino, quod pro se solutum est; sanguinem solvit, sanguinem debet. Ille pro te solvit: tu pro eo redde. Sed si non potes pretium reddere, vel hoc facies saltem, ne pretio videaris indignus. Ne veniat Christus, qui te redemit, & si te in peccato invenerit, dicat tibi: quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem. *S. Ambr.*

Q. An latrones fuerint etiam cruci affixi clavis? ℟. Affirmativè: quia teste Evangelista, *crucifixerunt* duos latrones.

S. Agnetem Virginem de monte Politiano adhuc in prima Professione religiosâ, roscida crux circumfulsit. Eidem quindecim annis in pane & aqua jejunanti, Angelus SS. Evcharistiam, B. V. JESULUM, JESULUS crucem dedit. Omnes ejus delitiæ erat contemplatio JESU crucifixi. Visa est à domesticis, per ipsum Angelum ad sacrum latus Salvatoris crucifixi, in sublime elevari: cui tanto pietatis sensu & cordis dulcedine sancta Virgo adhæserat, ut vultum suum tegere deberet, cùm iterum ab Angelo reduceretur. *Seraph. Raz.* Nonnulli citò, aliqui tardiùs, multi nunquam cœlo maturescunt. Ex quorum numero sis, vide.

B. Agnes, succurre mihi præsertim in hora mortis meæ, & exora mihi à crucifixo JESU felicem ex hac vita transitum, ut dum te pio veneramur obsequio, tuo etiam patrocinio gaudeamus. Et Tu cumprimis -- O &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, orabo pro illis peculiariter, qui relicto JESU, in quo veræ sunt deliciæ, convertunt se ad vanitates & voluptates hujus sæculi.

Ipsa crux, si attendas, tribunal fuit; in medio enim Judice constituto, unus, qui credidit, liberatus, alius, qui insultavit, damnatus est. *S. August.*

Q. Qui & quales fuerint simul in Calvariæ monte crucifixi? ℟. Tres erant in cruce: unus Salvator, alter salvandus, alius damnandus: omnium par pœna; sed impar causa. *Aug.*

S. Joannes Pechamus Anglus, doctrinâ & sanctitate excellens, studuit Parisijs, Magistro usus Sancto Bonaventura. Apud eundem deinde, ùt Ministrum Generalem iniquè accusatus, doluit vehementer, suásque coram crucifixo querelas, profusas inter lacrymas exposuit: sed reposuit ex alto Jesus crucifixus: *Et Ego quid promerui, pendens inter Latrones?* Hæc & plura locutus Dominus, tantâ perfudit servum lætitiâ, ut patienter omnes posthac injurias ferret. *Wading.* Sítne ergo servus melior Domino, discipulus Magistro?

B. Joannes id unum à meo & tuo JESU crucifixo pro me postula, ut bene vivam & sanctè moriar: hoc unum præ omnibus alijs mihi est in votis. Et Tu cumprimis - - O pijssima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, in nulla afflictione dabo locum tristitiæ, sed confugiam ad crucifixum JESUM.

Neque sanguis Christi expiat omnes, neque fides sola sufficit: nec inter eos, quos expiat, numeramur, nisi sanguinis Christi utilitatem, congruæ pœnitentiæ satisfactione mereamur. *Radulph.*

Q. Quid tam diversa conditio crucifixorum in monte Calvariæ denotat? ℟. Indicat nobis, quòd quilibet habeat suam crucem, & *Innocens, & Pœnitens, & Peccator obstinatus.*

S. Sabinum Præſulem ſanctiſſimum inſolitis tormentis excruciavit, crudelis Tuſciæ Præſes Venuſtianus. Sed juſtiſſimâ vindictâ DEI (cujus ſervos nemo impunè laceſſit) utriusque oculi lumen amiſit Tyrannus. Sabinus interea memor Chriſti in cruce pro ſuis crucifixoribus orantis, continuas & quidem adeò efficaces ad DEUM preces fudit, ut amiſſum viſum reſtitueret Venuſtiano. *Lyr.* Excelſa charitas etiam ad inimicos ſe extendit Diligere tantùm amicos, virtutis non eſt: nunquid etiam Ethnici hoc faciunt?

Domine JESU Chriſte! repræſento tibi hodie merita S.Sabini: Preces quæſo ſervi tui ſupplicantis propitius reſpice, & flagella, quæ pro peccatis noſtris meremur, averte. Et Tu cumprimis -- O pijſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! Vóſque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præſertim hodierni, & diei mortis meæ, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, orabo pro perſequentibus & calumniantibus me.

Nemo igitur ſibi vivat; ſed ei, qui pro ſe mortuus eſt: Cui enim juſtiùs vivam quàm ei, qui, ſi non moreretur, ego non viverem? *S. Bern.*

Q. Quomodo milites ſupra veſtem Chriſti ſortem miſerint? ℟. Alearum jactu id factum eſſe dicit. *Juſtin. in Dial.*

B. Petrus de Tecelano orabat sæpius, ut modum viámque nôsset, quâ Christum posset imitari. Exauditæ sunt preces illius: Vidit per somnium Angelos per Ecclesiæ portam ingredientes, & copiosum cinerem spargentes. Mox conspicatus est Christum vulneribus plenum ita procedentem, ut sparsus per terram cinis cruenta vestigia impressa retineret. Per eandem semitam secuta est sanctissima Mater Christi: Imò & S. Apostoli, & variæ conditionis utriusque sexûs personæ, eandem viam tenebant. Ex quo didicit vir sanctus per Christi patientis vestigia esse incedendum; crucémque & ardua præ omnibus amare cœpit & æstimare. *Chron. min.* Quid ad hæc?

B. Petre, doce nos exemplo tuo JESUM Christum præ omnibus amare, & eum per ardua & aspera constanter imitari. Et Tu -- &c. *f.* 1.

Ad quod impetrandum, examinabo me hodie, an per hanc eandem viam, quam hucusque tenui, præcesserit JESUS crucifixus.

Pater cœlestis convivificavit nos Christo, ut essemus in ipso nova creatura, novum figmentum ad similitudinem ejus effecti, ut quemadmodum ipse ambulavit, & ipsi ambulemus. *S. Leo.*

Q. Quæ afflictio Christi maxima fuerit? ℟. Probra & opprobria: nulla enim res homini afflicto magìs pœnosa est, quàm dum malis, vel adversis aliunde premitur, factis vel verbis subsannari. *S. Chrys.*

S. Georgius ùt miles Illustrissimus, ita Athleta Christi fortissimus agnitâ sanctæ fidei veritate, nec vincula, nec carceres, nec ferrum, nec ignes, neque ulla horruit tormenta. Mira & magna sub Diocletiano, amore JESU Christi fecit, tulítque. Angelus sancti Martyris vulnera sanavit: ipse JESUS Christus exhibitis vulneribus suis, ad pugnam & constantiam animavit, & qui pro nobis mortem in cruce vicit, etiam in Georgio vicit tormenta Tyranni. *In vita.* Verus nempe JESU crucifixi amor, quid est, quod non possit agere, aut ferre?

S. Georgi, doce me exemplo tuo bonum certamen certare, datam JESU Christo fidem servare, cursum consummare, & tandem coronam gloriæ reportare. Et Tu cumprimis - - O pijssima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe; Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, orabo JESUM Christum pro vacillantibus in fide.

Etsi cætera taceam, hoc solo non immeritò sibi vendicat JESUS vitam nostram, quia pro ea posuit suam. *S. Bern.*

Q. An sola plebs Christum in cruce pendentem blasphemârit? ℟. Non tantùm plebs, sed similiter & principes Sacerdotum & Scribæ, & Seniores populi.

S. Marcus Evangelista, discipulus & interpres Petri, scripsit Evangelium: multa eidem suggessit Petrus, multa suggessit MARIA DEIpara, rerum à filio suo gestarum optimè conscia. Alexandriæ in Ægypto primus Christum prædicavit, ibidem ipsa paschatis die, cùm ad aras operaretur, abreptus est in carcerem; sed eadem nocte Angelum habuit consolatorem, qui nomen ejus libro vitæ insertum esse ostendit. Pro hoc favore gratias agenti Marco comparuit Christus, dixítque: *Pax tibi, Marce.* Laqueo tandem raptatus, & præfocatus Martyr occubuit. *In vita.* An etiam nomen tuum scriptum sit in libro vitæ, conscientiæ tuæ librum inspice.

Intercedat pro nobis S. Marcus Evangelista apud JESUM Christum, DEUM pacis & consolationis, ut per infinitam misericordiam suam dirigat pedes nostros in viam pacis. Et Tu cumprimis - - O pijssima &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, hodie solabor afflictos & pacem ac concordiam cum omnibus observabo.

Quantum valeat, & quantum Christo debeat, quilibet agnoscat; ut dum pretium suum cogitat, vitijs subjectus esse desinat: & potiùs vicem muneris Salvatori, ex ipso bono suo, id est, de conservata salute restituat. *S. Aug.*

Q. An injuriæ à Principibus, an à populo illatæ, fuerint Christo graviores? ℟. A plebe abjecta vilipendi, est facilius quàm contemni à Primatibus.

XXVI. APRI-

SS. Ruffina & Secunda, Romanæ Virgines nec promiſſis nec minis à Chriſti fide poterant averti. Ruffinam igitur Junius Præfectus, virgis cædi jubet: Secunda autem, quæ à Chriſto crucifixo & pati & mori didicit, hoc ſpectaculo cruento incitata, ſic judicem interpellavit: *Quid eſt, quod ſororem meam honore, me autem ignominiâ afficis? Jube ambas ſimul cædi, quæ ſimul JESUM Chriſtum Deum confitemur.* Utraque igitur, victima cecidit glorioſa. *Baronius.* Diſcite Virgineæ mentes! nec terreant vos hominum minæ, nec vos infaſcinent blandimenta aut promiſſa.

SS. Ruffina & Secunda, ſanctæ ſorores! veſtro exemplo me torpentem animate, ut non tantùm non horream, ſed etiam totis viribus concupiſcam, & pati & mori pro Chriſto. Et Tu cumprimis - - O pijſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, ſatagam quidquid ſcandalo eſſe poteſt, amovere, econtra bono exemplo alijs prælucere.

Reus erit non parvi pretij ſed ſanguinis Chriſti, qui violat & commaculat animam, Chriſti ſanguine & Paſſiône mundatam. *S. Aug.*

Q. Cur Chriſtus veſtimenta ſua relinquere voluerit, hominibus licèt ſceleratiſſimis? ℟. Ut intelligamus bona temporalia ſæpè etiam ijs dari, qui impij ſunt, & melioribus gratiæ donis non ſunt digni.

S. Menulphus cum per ſylvas animum ſuum diverteret, repentè cervum atque inter ejusdem cornua Chriſtum è cruce pendentem conſpexit. Ex qua viſione totus mutatus in alium, ita vivere cœpit, ut totus mundus illi eſſet crucifixus, ſolúmque in amore & pretio eſſet JESUS crucifixus. *In vita.* Feris inſidiari honeſtum quidem, & jucundum animi diverticulum: Animas in Chriſti retia concludere, negotium negotiorum maximum eſt; opus dignum DEO.

S. Menulphe, tu nôſti optimè; quia non eſt abbreviata manus Domini: ora pro me, ut, quod fieri poteſt, unicus etiam JESU crucifixi aſpectus mutet me in hominem alium, à me ipſo omnino diverſum. Et Tu cumprimis - - - O pijſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! Vóſque omnes Sancti, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, hodie unico ſaltem quadrante, in cubile meum me recipiam, & pijs erga JESUM crucifixum affectibus vacabo.

Patent arcana cordis: patet magnum pietatis Sacramentum, patent viſcera miſericordiæ DEI noſtri, plena pietate, plena dulcedine & charitate. *Bern.*

Q. Cur JESUS nudus voluerit mori? ℟. Partim, ut palàm faceret, ſe & omnia ſua dediſſe noſtri amore, partim ut ſannis & opprobrijs populi magìs exponeretur.

B. Matthæus Carterius vir innocentissimus sæpiùs coram Christi crucifixi imagine aliqua eorum sentire efflagitavit, quæ Dominus in monte Calvariæ passus est in cruce. Et exaudita est oratio ejus; visibilis siquidem Christus oranti comparuit, & incredibilem quendam ejus cordi dolorem impressit, ut vir sanctus cor suum acutissimo velut mucrone sibi discindi existimaret: hic dolor autem eò majorem suppeditabat lætitiæ & consolationis materiam, quò acerbiorem sentiebat. *Leander.* Quàm multi in monte Tabor, quàm pauci in Calvariæ monte esse desiderant cum JESU.

Impetra mihi, S. Matthæe, verum crucis amorem, ne aliquando inimicis crucis Chrsti, quorum finis est interitus, debeam annumerari: Quomodo enim conregnare cum Christo potero in cœlis, si nec quidquam pati velim in terris? Et Tu cumprimis -- O pijssima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, hodie contrito corde, delicta mea deprecabor.

Pudeat sectari gloriam, membra: quibus caput suum tam inglorium exhibetur! Pudeat sub spinoso capite membrum fieri delicatum! *S. Bern.*

Q. Quæ adhuc ratio fuerit, cur Christus voluerit nudus mori? ℟. Ut nostrum in vestitu excessivum ornatum, superbiam, aut minùs verecundos vestiendi modos confunderet & expiaret.

S. Petrum Veronensem, cognomento Martyrem, Sanctæ Virgines, Agnes, Cæcilia, & Catharina invisebant. Observatum id fuit à vicinis, quibus ignotæ erant hæ Sanctæ Virgines: Quare accusatus in capitulo, in alterum monasterium velut in carcerem ablegatus, nocte quadam has coram crucifixo JESU amicas deposuit querelas: *Domine JESV, quid commerui, quid feci? Et Ego, Petre,* reposuit crucifixus, *quid feci? quòd tam acerbos debuerim ferre cruciatus. In vita.* Si qua ærumna te premit, JESUM respice, sæpe nos digna factis recipimus, hic autem quid?

S. Petre, intercede pro nobis, ut dum hodie tua merita piè recolimus, tua apud JESUM Christum patrocinia sentiamus. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti & Sanctæ DEI, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, hodie dum alij amicorum colloquijs se recreabunt, ego colloquar cum JESU crucifixo.

Desidero diu vivere: quia desidero, amore sponsi ac Domini mei JESU Christi, diu pati. *S. Magd. de Pazzis.*

Q. Qualia prodigia facta sint, Christo pendente in ligno crucis? ℟. Tenebræ factæ sunt sextâ horâ, velum templi scissum est, terra mota est, petræ scissæ sunt, monumenta sunt aperta.

S. Catharina Senenſis catenâ ferreâ & quidem ter quotidie per ſesqui horam ſe cædebat, ut ſanguis ab humeris ad pedes usque diffunderetur, ut vel ſic ſanguinem pro ſanguine redderet JESU crucifixo. Coronam ſpineam à Chriſto oblatam præ aurea elegit: facies ejus in faciem Chriſti mutata cernebatur: Sacra ſtigmata ab ipſo JESU crucifixo, eidem ſunt impreſſa. Hæc tamen inſoliti amoris ſigna, ne hominum oculis conſpicua eſſent, impetravit. Poſt triginta tres annos in laboribus & doloribus expletos, ſanctiſſimè diem clauſit ſupremum. *Raym. Capuan.* Scilicet qui JESU Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs ſuis.

O S. Catharina, ô utinam per tuam interceſſionem vulneret JESUS Chriſtus cor meum ſpiculo divini amoris ſui: Impetra nobis, quæſumus, ut qui tuum imploramus auxilium, petitionis noſtræ ſalutarem conſequamur effectum. Et Tu cumprimis -- O pijſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, in memoriam patientis JESU, utar hodie cilicio aut flagello.

Conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ. *Hebr.* 5.

Q. Cur ſol obſcuratus eſt? ℟. Tum ut compateretur authori naturæ, tum ut virgineam Chriſti nuditatem, oculorum procacitati ſubduceret. *Pacciuch.*

S. Philippus Apoſtolus, Aſiæ Superiori Evangelium prædicavit, Scythiam ferè totam convertit, & demum in Phrygiam reverſus idolorum ſimulacra evertit. Vexillum JESU crucifixi explicuit, tandem pro Chriſti nomine cruci eſt affixus. In cruce gratias egit DEO, quòd cum Domino ſuo crucifixo liceat mori. Per repentinum terræ motum, pleráque tecta diruta, & inquilini, & tortores omnes dehiscente terrâ vivi ſunt ſepulti. *In vita.* Scilicet: illatas ſervis ſuis injurias vindicat Dominus, qui dixit: *quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis, ſive bonum, ſive malum.*

Ora pro nobis cum S. Jacobo S. Philippe, ut Dominus noſter JESUS Chriſtus poſt noſtrum ex hac vita tranſitum in domo Patris ſui, in qua manſiones multæ ſunt, oſtendat nobis Patrem; & ſufficit nobis. Et Tu cumprimis - - O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, ſymbolum Apoſtolorum hodie attentè recitabo, illa præſertim verba: *crucifixus, mortuus, & ſepultus eſt.*

Recordare, quæſo, Recordare miſericordiſſimi, benigniſſimi, dulciſſimíque Redemptoris tui JESU Chriſti, qui venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere. *Lud. Bloſ.*

Q. Cur Chriſtus in alto pendere voluit? ℟. Ut omnium oculis expoſitus, omnibus eſſet in exemplum, & ſpeculum patientiæ & charitatis.

S. Athanasius Episcopus Alexandrinus, ut affectum suum erga JESUM crucifixum testaretur, librum scripsit de passione Domini, plenum sensu pietatis. Unicum in adversis solatium ei erat JESUS crucifixus, hunc manibus volvebat, in hunc oculos, animúmque assiduè intendebat, atque licèt ab omnibus omnino derelictum se videret, unicè se consolabatur recordatione JESU Christi in cruce ingemiscentis; *DEUS meus, DEUS meus, ut quid dereliquisti me? In vita.* In quacunque afflictione si quæras solatium, aliud alibi non invenies, nisi apud JESUM crucifixum.

Ora pro me, S. Athanasi! ut nunquam derelinquat me, nec avertat faciem suam à me Dominus noster JESUS Christus. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, in omni etiam interna derelictione confugiam ad crucifixum JESUM.

In hoc est charitas; non quasi nos dilexerimus DEUM, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. 1. *Joan.* 4.

Q. Cur Christus pati voluit ab illa gente, cui tamen omnia beneficia præstitit? ℟. Quia voluit gravissima quæque pati; non autem est acerbius vulnus, quàm ab ingrato.

CRux Sacrosancta, lignum illud benedictum, in quo Salus mundi pependit, & mortem moriendo destruxit, diu ex hominum oculis, & memoria latuit, in terram defossa. Anno tamen 326. pientissima Imperatrix Helena, Magni Constantini Mater, diu, & diligenter quæsitum reconditum hunc thesaurum, crucem videlicet Domini invenit, quam Christus conscendit, ut nos per peccatum perditos inveniret. *In Vita.* Mulierem talem, quæ quærat crucem, quis est, qui inveniat? procul & de ultimis finibus pretium ejus.

DEUS, qui in salutiferæ S. Crucis inventione, Passionis tuæ miracula suscitâsti, concede propitius per merita S. Helenæ, ut vitalis ligni pretio, æternæ vitæ suffragia consequamur. Et Tu cumprimis - - O pijssima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, hodie peculiari devotione crucem Domini nostri JESU Christi venerabor.

Si vis habere reliquias S. Crucis, perlege Passionem, & eam considera diligenter, eámque recole: & certò scias, quod sic gratiam meam optimè consequêris. *Ita Christus ad S. Gertr.*

Q. Quamdiu tenebræ fuerint, dum Christus pendebat in cruce? ℟. Tenebræ continuabantur tribus horis.

IV. MA-

S. Monica, ut filium Auguſtinum, qui in Manichæorum ſectam inciderat, JESU Chriſto conciliaret, ſæpè coram Crucifixo proſtrata, uberrimas lacrymas, & prolixas orationes profundebat, rogabátque, ut JESUS crucifixus famulo ſubveniret, quem pretioſo ſanguine redemiſſet. Quod voluit, tandem etiam impetravit. *In vita.* A Monica diſcite Matres: bis illa erat Mater Auguſtini: ſollicita quidem de filij vita, magìs de ſalute.

DEUS mœrentium conſolator, & in te ſperantium ſalus, da nobis per S. Monicæ interceſſionem peccata propria & aliena deplorare, & per infinita JESU Chriſti merita ad vitam æternam perveni re. Et Tu cumprimis - - - O pijſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, commendabo JESU crucifixo animas in peccato mortali conſtitutas, ut ad Dominum DEUM ſuum ſeriò revertantur oviculæ errantes.

Moriturus quisque meritis Salvatoris noſtri JESU Chriſti magìs, quàm ſuis innitatur. In illius bonitate, & in precibus B. MARIÆ Virginis, ac Sanctorum DEI confidat.

Q. Quomodo tenebræ illæ factæ ſunt? ℟. Vel per denſiſſimas nubes ſoli offuſas, ut Origenes putat, vel quod luna ſe ſoli ſupposuerit, *Dion. Areopag.*

S. Pius Pontifex Maximus militibus Christianis contra Solimanum procedentibus exhibuit Crucifixum, hísque verbis eos est hortatus. *Ite, victoriam relaturi, si spem in JESU Christo crucifixo habueritis.* Prostratus coram crucifixo gloriosè relatam ab hostibus victoriam, ab ipso Salvatore intellexit. Quinquaginta diebus acerbissimos calculi dolores est passus; in patientem tamen JESUM semper defixus, nec querelis, nec clamoribus, nec quidem gemitu indecoro, dolorum suorum vehementiam manifestavit. *Gabut. In vita.* Quantum alios superas dignitate, tantum excellas virtute.

DEUS, cujus pietatis non est numerus, & infinitus misericordiæ est thesaurus, concede propitius per gloriosa S. Pij merita, contra omnes hostium insidias, in Domino nostro JESU Christo triumphare. Et tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, hujus sancti Pontificis patientiam in doloribus corporis, conabor imitari.

Mors Christi mortem tuam soletur. Ille præcessit, præcesserunt & innumeri electi ejus: non igitur pigeat te sequi. *Thauler.*

Q. An fuerit hæc Eclypsis naturalis? ℟. Fuit verè miraculosa: tenebræ enim factæ sunt super universam terram. *Pacciuch.*

VI. MA-

B. Joanna de la Cruz seu Crucia ex Ordine S. Francisci, Aloën, aliáque amarissima quæque continuò masticabat, ut in memoriam JESU Christi in cruce pendentis, suum quoque gustum continuò afflictaret. Cruci se alligare, ad murum in formam crucis se extendere, & ex clavis manu apprehensis pendére solebat. Ad magnitudinem pulcherrimæ rosæ, stigmata in manibus & pedibus, à Christo accepit, amatrix crucis verè singularis. *In vita.* Scilicet ingeniosus amor omittit nihil, quod placeat amato.

O Beata Joanna, illud apud JESUM crucifixum precibus tuis effice, ut terrena omnia, amore JESU Christi fastidiamus, & cœlestia totâ mente inquiramus. Et Tu cumprimis - - O pijssima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, & diei mortis meæ, & Vos, ô beatæ in cœlis animæ, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, hodie gustum aliquo meliori bolo fraudabo.

Devotè exerce te in vita & Passione mea. Planta floridam arborem crucis meæ in corde tuo. Ad me crucifixum sponsum & DEUM tuum frequenter aspira, per verba vel desideria amorosa. *Ex Joan. Lansperg.*

Q. Quale fuit primum verbum Christi in cruce? ℟. Oratio pro crucifixoribus.

S. Jonas, generosè pro Christo Martyrium subijt: interrogatus, num mallet Regis Saborij mandatis obsequi, vel mori morte atrocissima? *Nunquam* respondit, *nunquam ego negabo DEUM meum JESUM Christum.* Quapropter virgis spinosis cæsus, in glaciem fune pedibus alligato demergitur. Interrogatus die altera, quomodo hanc noctem transegisset, *mihi credite*: reposuit, *nulla unquam mihi nox tranquillior exstitit, præstò enim mihi fuit consolatio verè omnium dulcissima ex sacrosancto illo ligno, cui affixus Dominus meus JESUS Christus, suis livoribus nostros languores egregiè sanavit. In vita.* Charæ DEO animæ non alibi quærunt malis suis levamen, aut inveniunt, nisi in doloribus & in cruce.

Tuis confisus precibus, ô S. Jona! spero à JESU crucifixo in omni tribulatione auxilium, idque unum desidero, ut per lignum sanctæ crucis suæ, nutantia corda nostra erigat, & ab hoste maligno defendat. Et Tu -- O &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, ab omnibus SS. Martyribus hodie petam, ut exorent mihi gratiam, Christum JESUM semper amandi, & verè imitandi.

O ineffabilis bonitas Christi JESU! O amor incomprehensibilis! Gaudium cœli propter nos ad mortem usque mœrore afficitur, quódque nos voluptate deliquimus, ipse JESUS lethalibus voluit cruciatibus expiare. *Lud. Blos.*

Q. Quare primò oravit Christus pro inimicis? ℟. Quia prima virtus est dilectio, præsertim inimicorum.

S. Angelus, Illuſtriſſimus Chriſti Martyr, à feſto exaltationis S. Crucis, usque ad Paſcha in memoriam JESU crucifixi ſolo pane & aqua victitabat. A Paſchate verò usque ad Pentecoſtem ſaltem feriâ quartâ & ſextâ, nihil præter panem & aquam in victum admittebat. Lecti aut floreæ locò nudâ humo utebatur, & ferreo thorace carnem excruciabat, verus JESU crucifixi diſcipulus. *In vita.* Etſi Angelus ſis moribus & vita, mortificationem tamen JESU Chriſti in corpore circumferas, eſt neceſſe.

Da nobis Domine JESU Chriſte per interceſſionem S. Angeli, ut cujus gaudemus meritis, etiam ejusdem inſtruamur exemplis. Et Tu cumprimis - - O pijſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! Vôsque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præſertim hodierni, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, hâc hebdomadâ feriâ ſextâ à vino abſtinebo.

Reſpice nunc ô anima mea oculis cordis tui, Dominum & Creatorem tuum, cujus celſitudinem Angeli mirantur, quàm nimiùm abjectus & humiliatus eſt propter peccata tua. *Lud. Bloſ.*

Q. Quare Chriſtus oraverit priùs pro crucifixoribus, quàm pro alijs? ℟. Quia ordo charitatis requirebat, ut primo loco oraret pro illis, qui maximè indigebant.

S. Gregorius Nazianzenus in decrepita ætate, ferè semper morbis & doloribus vexatus, sæpius auditus est dicere: Gesto crucem, membrísque meis, gressúque viarum; Crux mihi corde sedet, laúsque decúsque meum. Solo enim aspectu, & pia contemplatione JESU crucifixi, acutissimos pedum totiúsque corporis dolores leniebat *In vita.* Virtus sæpe etiam in infirmitate perficitur.

Domine JESU Christe crucifixe! Te ego adoro, te supplex imploro, & per merita S. Gregorij humillimè obsecro & obtestor, ut mihi sacrosanctæ crucis lignum sit in omni tentatione refugium, in omni afflictione solatium, in vita & in morte inexpugnabile munimentum. Et Tu cumprimis - - O pijssima Virgo, amaritudine & doloribus plena, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, rogabo hodie JESUM crucifixum, ut si fortasse placeat augere dolores aut cruces, augeat etam patientiam.

O Domine JESU Christe! qui propter me tibi non pepercisti, cor meum tuis vulneribus ita saucia, & mentem meam tuo sanguine ita inebria, ut quoquò me vertam, semper te videam crucifixum. *P. Carol. Roland. S. J.*

Q. Quare Christus tam affectuosè oravit pro inimicis? ℟. Ut quemadmodum docuit verbo, ut diligamus inimicos, ita etiam doceat exemplo.

X. MA-

B. Jacobus de Bevania, sollicitudine plenus, an & ipse futurus esset aliquando ex numero salvandorum: Diu hæsit anxius. Ad crucifixi pedes provolutus hæc verba audivit: *Sanguis iste tibi signum sit*: Et ecce: prosiliens repentè è SS. Christi latere sanguis, per vultum & vestimenta Jacobi ita erat sparsus, ut elui vix amplius posset. Paucæ guttulæ labijs orantis illapsæ, cor ejusdem & animum ita erexerunt, ut spe plenus, non desideraret aliud, nisi dissolvi & esse cum Christo. *Lyr.* Etiam Sancti timent: multi siquidem vocati, pauci verò electi.

B. Jacobe, per efficaces tuas apud DEUM preces effice, ut omni diffidentiâ sepositâ, spes mea unica sit in JESU crucifixo, qui pretioso suo sanguine me redemit. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, ita nunc disponam omnia, ut in morte nihil sit, quod me augere possit, aut turbare.

Christum in suis tormentis, & super lectulum crucis intueri, satìs mihi solatij est usque ad mundi finem, si DEO mihi vitam prolongare placeret. *S. Franc. Ser.*

Q. Quando Christus maximam charitatem ostendit? ℟. Dum pro crucifixoribus oravit, & quidem inter maxima tormenta.

S. Majolus sanctæ Crucis & JESU crucifixi cultum, ut poterat, studuit promovere. Morti proximus frontem & pectus suum frequentissimè signo sanctæ crucis munivit, atque cum liquidissimo adstantium solatio inter suavissima cum JESU crucifixo colloquia spiritum reddidit in sanctissima vulnera pendentis in cruce Salvatoris. *In Vita.* Quàm pretiosa mors Sanctorum in conspectu Domini!

S. Majole, tuo edoctus exemplo, non in alio, nisi in signo S. Crucis supremum vitæ certamen inire desidero. Et Tu cumprimis - - O pijssima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, & diei mortis meæ, & Vos, ó beatæ in cœlis animæ, quondam JESU Crncifixo peculiariter devotæ, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, in tentationibus confugiam ad signum S. Crucis.

Materia absolutæ virtutis, & propria Societatis JESU meditatio esse debet, vita, Passio, & mors JESU Christi. *S. Franc. Xaver.*

Q. Quare Christus nomine *Patris* utitur in oratione pro crucifixoribus suis? ℟. Ut à Patre cœlesti, paternam benignitatem recolendo, eò faciliùs suæ petitionis effectum consequatur.

S. Theobaldus Ordinis Cisterciensis, Abbas Vallis Cernanæ, grandem crucifixi effigiem è ligno fabricatam comparavit Parisijs, eámque usque ad diversorium portavit: mirantibus alijs respondit, sibi à Domino revelatum esse; *Crucem portandam esse ab eo, qui cuperet JESU crucifixo esse familiaris. Hugo Menard.* Scilicet qui non tollit crucem suam, non potest Christi esse discipulus, oraculum est æternæ veritatis.

O S. Theobalde, impetra mihi, ut impositam mihi à paterna DEI manu crucem portem libenter, sicque aliquando numerari merear inter domesticos DEI, & amicos JESU crucifixi. Et Tu cumprimis -- O pijssima Virgo, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, portabo crucem illam libenter, quam ferre debeo, ratione statûs mei seu vocationis, seu officij mei.

Domine, quoties Passionis tuæ amaritudinem in cordibus nostris ruminamus, toties de nobis expavescimus. Si enim ex hoc mundo transiisti ad Patrem cum tantis cruciatibus, quid fiet de nobis peccatoribus. Si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet? *S. Bern.*

Q. Quare Christus adeò ardenter oravit pro hominibus pessimis? ℟. Ut nos omnes ad spem erigat, si enim adeò beneficus fuit, erga homines pessimos actualiter peccantes, quàm gratiosus erit erga peccatores pœnitentes, aut innocentes. *Patciuch.*

HAc die Beatissima Virgo locuta est S Bernardo, atque non tantùm filiolum suum in brachia, sed etiam lac Virgineum è maternis suis uberibus dedit: cum Mariano hoc lacte quid aliud hausisset Bernardus, nisi tenerrimum amorem JESU crucifixi. In suavi ecstatici amoris deliquio cum inter lacrymas uberrimas compateretur JESU patienti, vocem audivit Domini dicentis: *mi Bernarde, juva me, qui tanta pro te patior*: imò dum hymnum à se compositum recitaret: *Salve mundi salutare, salve, salve JESU chare, cruci tua me aptare, vellem verè: tu scis quare; da mihi tui copiam*, crucifixi imago eundem amplexu suavissimo est dignata. *Bern. Villalp.* Semper conjunctus est amor JESU, & amor MARIÆ.

Sancti tui Bernardi meritis, Domine JESU, tribue, quæsumus, ut studeamus semper amare, quod Bernardus amavit, & opere exercere, quod docuit. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, me JESU & MARIÆ cultui velut mancipium devovebo.

Servis peccantibus traditur Dominus, ut scilicet propriâ morte filios peccantes liberaret. *S. Ephrem.*

Q. Quid ex latrone Christum blasphemante discimus? ℟. Quia blasphemijs & sceleribus assueverat; hinc palàm fit, qualis vita, mors est ita.

B. Delphina ad S. Elzearium conjugem suum, cum quo constanter virginitatem coluit aliquando de nimia ad Pessulanum montem mora, querulam expedivit Epistolam. Ad eandem illico has dedit responsorias: *Sanus corpore sum, & sospes, si verò me videre cupis, quære me in vulnere lateris JESU Christi crucifixi, ibi enim habito, & ibi me poteris invenire, frustra alibi quæsitura. In vita.* Domine, bonum est nos hic esse, nullibi magis securi, quàm in sanctissimis vulneribus Salvatoris.

O B. Delphina, impetra mihi cum sancto conjuge tuo, ut nullibi aliàs quiescere aut habitare desideret anima mea, nisi in vulneribus Salvatoris. Et Tu cumprimis - - O pijssima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, sæpiùs illud devotè repetam: *O bone JESU, exaudi me, intra SS. vulnera tua absconde me, &c.*

Parùm ac parùm nimis patior amore tui Domine mi JESU Christe! Et quæ demum lex id patitur, ut servus infidelis decumbat in lectulo, inter obsequia filiorum DEI; & tu DEUS meus Rex paradisi in cruce pendeas inter latrones. *Franc. Cajetan. S. J.*

Q. Quomodo factum, ut etiam ad latus Christi, unus latro perîerit? ℟. Hinc discendum, ut nemo fidat, sed quisque in timore & tremore suam salutem operetur.

B. Alquerinus Cifterciensis, amantiffimus Chrifti crucifixi: ante mortem rogatus, qui valeat, *benè*, inquiebat, *chariſſime Pater*, *benè omnino agitur mecum*, *quia vadens vado ad Dominum meum*, *omnia tranquilla*, *omnia læta jam conſidero*. Modò enim apparuit mihi licèt miſero, & indigno Dominus JESUS Chriſtus, qui propitio ac ſereno vultu me intuens, ac ſigna Dominicæ Paſſionis oſtendens ait: *Ecce peccata tua deleta ſunt à facie mea*, *veni ergo ſecurus*, *veni*, *& vide*, *ac deoſculare vulnera mea*, *quæ tantùm dilexiſti*, *& toties in meis infirmis confoviſti* His confiſus jam non timeo, quia repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. Tandem eâ, qua prædixit, horâ expiravit. *In vita*. Tali videlicet morte ſolent mori, qui libenter charitatis opera & miſericordiæ exercent.

Ora pro me B. Alquerine, ut cum tranquilla conſcientia ex hoc mundo tranſeam ad æternitatem. Et Tu cumprimis--O pijſſima Virgo, &c. *fol*. 1.

Ad quod impetrandum, hodie infirmum viſitabo.

Dolores, O JESU, mi crucifixe! dolores mihi amorémque tui concede; ô bone JESU! nil aliud peto. *Franc. Cajet. S. J.*

Q. Quomodo autem alter latro ſalvatus? ℟. Factum eſt: ut nemo deſperet ubi latro juſtificatur, ubi mortis æternæ reus, vitæ æternæ hæres declaratur.

S. Joannes Nepomucenus ſanctitate & miraculis orbi notiſſimus: verè magnus coram Domino, pandere noluit, quæ à Regina Joanna in ſacra Exomologeſi in aurem audierat. Tormenta omnia, nil aliud niſi pia ad JESUM & MARIAM ſuſpiria, à viro ſancto poterant extorquere. S. Crucis & Crucifixi cultor erat ferventiſſimus. Primum à populo honorem accepit in Eccleſia S. Crucis. Cùm hæretici nocte quadam anno 1621. crucifixi imagines deſtruerent in templo S. Viti, ipſe S. Joannes, cum S. Wenceslao, & Adalberto è ſuo prodijt ſepulchro. *Balb.* En quantum tacuiſſe juvat.

S. Joannes, impetra nobis, ut reatus noſtros ſincera ante mortem confeſſione expiare, ſalutari pœnitentia delere, & à temporali & æterna confuſione liberati, beatitudinis portum contingere valeamus. Et Tu cumprimis -- O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, ita te diſpone, ut quovis momento ſis paratus ad mortem.

Beatus homo, qui ſemper ob oculos habet cœleſtem Dominum, ac Paſſionem ejus. *S. Ephrem.*

Q. Quid in latrone pœnitente, & deſperante repræſentatur? ℟. Diverſitas morientium, & diverſitas cruces & adverſa ferentium.

B. Agatha admirabilis illa, & lectissima ex Ordine S. Dominici Virgo, erga sacratissimum Crucifixi JESU mysterium tota inflammata, extensis in crucem brachijs orare solebat, nocte ante communionem sacram ter in se flagellis sæviebat. Quoties vel intuebatur Crucifixum, toties lacrymis diffluebat, artubus omnibus trepidabat, animi sui deliquium patiebatur. *In vita.* In eundem credimus, in cruce JESUM intuemur, & tamen corda nostra quàm sunt saxea!

Ora pro me S. Agatha, & in me tuo exemplo, pios devotæ mentis affectus excita erga JESUM crucifixum. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, & diei mortis meæ, & Vos, ô beatæ in cœlis animæ, quondam &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, gratias agam DEO pro omnibus beneficijs, quæ contulit cultoribus JESU crucifixi.

Sicut totius corporis est piè vivere; ita totius est temporis, crucem ferre. S. *Leo.*

Q. Quid Christus petiêrit per illud verbum: *dimitte* aut *ignosce illis*? ℟. Petijt remissionem & culpæ, & pœnæ. *S. Bernard.*

B. Felix ex Ordine S. Francifci verus Seraphici fui Patris filius, infignis cultor & amator Crucifixi, ejus imitandi ftudio folebat quotidie de nocte duas vel tres horas continuas, extenfis in crucis formam brachijs orationi impendere, fine ullo corporis motu; ita quidem, ut confueti fomnii loco quies illius unica effet in vulneribus JESU Crucifixi. *In vita.* Sic nempe Sanctis nec dies fufficit: quieti etiam fuæ horas fubtrahunt, ut DEO vacent, & quid tu?

Da nobis quæfumus Domine B. Felicis memoriam ita recolere, ut femper ejusdem patrocinio fublevemur, & pari devotione & amore JESUM crucifixum profequamur. Et Tu cumprimis - - O piiffima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam fufcipe! Vósque omnes Sancti, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, expanfis brachijs 5. Pater & Ave recitabo.

JESUS illis jam petebat veniam, à quibus adhuc accipiebat injuriam. Non enim attendebat, quod ab ipfis moriebatur, fed quia pro ipfis moriebatur. *S. Aug.*

Q. Quibus petijt Chriftus ignofci? ℟. *Illis*, hoc eft, omnibus fine exceptione ulla; nec Annas, nec Caiphas, nec Herodes, nec Pilatus, nec calumniantes, nec flagellantes, &c, *S. Aug.*

S. Petrus Cœleſtinus JESUM è cruce habuit Magiſtrum, Angelos verò morum & ſtudiorum præceptores. Adeò familiaris erat JESU Crucifixo, ut dum pſalmos recitaret, ipſe Chriſtus è cruce deſcenderet, & cum eodem pſalleret. Hujus amore impulſus ſponte abdicato ſummi Pontificatûs honore, & onere, in ſolitudinem receſſit, ut unicè dilecto ſuo, & crucifixo amori intentus, eidem ſe in omnibus aſſimilaret: quo obtinuit, ut etiam pretioſam ejus mortem crux præfulgens reddiderit magis glorioſam. *In vita.* Magnos honores, majora onera, & maxima ſalutis pericula comitantur.

S. Petre Cœleſtine, ora pro nobis diviniſſimum Magiſtrum tuum JESUM crucifixum, illúdque impetra, ut velut fideles ejusdem imitatores & diſcipuli, ſerviamus illi in omni ſanctitate & juſtitia omnibus diebus noſtris. Et Tu cumprimis - - O pijſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, verbis illis alloquar JESUM crucifixum: *Loquere, Domine, quia audit ſervus tuus,* & quæ occurrent facienda, fideliter exequar.

Propter nos paſſus eſt impaſſibilis Dominus, propter nos crucifixus eſt, qui ſolus ſine peccato erat. *S. Ephrem.*

Q. Cujus noxæ remiſſionem petijt Chriſtus in cruce? ℟. Omnium quidem delictorum, præcipuè tamen ipſius crucifixionis. *S. Bonav.*

S. Bernardinus Senensis de vitæ statu eligendo perplexus coram Crucifixo prostratus à Domino voces audijt: Fili mi? tu me vides hic nudum, & clavis affixum cruci? Si me diligis, hic quære, & invenies. Moriturus è lecto in terram deponi voluit, & ibidem mori. *P. Elffen. in Exer. de passione Dom.* Multi saniora caperent consilia, si Christum consulerent Crucifixum, non mundum aut præcursores Antichristi.

Interveniente S. Bernardino doce me Domine JESU & malum reprobare, & bonum eligere, & toto corde bonorum omnium optimum diligere, nempe JESUM crucifixum. Et Tu cumprimis - - O pijssima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe; Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, & diei mortis meæ, & Vos, ô beatæ &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, de vitæ statu aut quacunque de causa dubius, consulam JESUM crucifixum.

Attende gloriam crucis ipsius. Jam in fronte Regum crux illa fixa est, cui inimici insultaverunt. Effectus probavit virtutem, domuit orbem, non ferro sed ligno *S. Augustin.*

Q. An crucifixio Christi fuerit gravissimum peccatum? ℟. Quod ita, tum ex genere peccati, tum ex malitia voluntatis, &c. *S. Tho.*

B. Gertrudis Islebienſis, magno incenſa ſtudio amori ſuo Crucifixo compatiendi, in corde à Dominò vulnerari expetijt, & impetravit, atque in corde ſanctæ hujus animæ tam amœnum ſibi habitaculum præparavit Dominus, ut Gertrudis non tantùm vulnera in ſecreto cordis ſui ſentiret, ſed etiam omnis creatura eidem vileſceret, & ſolus in corde ejus dulceſceret JESUS Crucifixus. *In vita.* O curvæ in terras animæ, qui ſolùm terrena ſapiunt, & nauſeant DEUM & Divina.

Impetra O S. Gertrudis cordi meo veri erga JESUM crucifixum amoris ſcintillam, ut agnita illius bonitate, omnis in me terrenus amor extinguatur, & ſolùm ardeat cor meum in amando Chriſtum DEUM. Et Tu cumprimis - - O pijſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, petam hodie horis ſingulis, ut me telo amoris divini vulneret JESUS crucifixus, faciátque, ut faſtidiam omnia, ſolúsque mihi ſapiat dulciſſimus JESUS, & hic crucifixus.

Jam ipſum caput noſtrum intueamur: Multi Martyres talia paſſi ſunt, ſed nihil ſic elucet, quomodo caput Martyrum: ibi meliùs intuemur, quod illi experti ſunt. *S. Aug.*

Q. An minùs fuiſſet malum, univerſum genus humanum delere, quàm Chriſtum perimere? ℟. Affirmativè. *S. Tho.*

S. Guilielmus Abbas Roſchildenſis, licèt jam vitæ annos octo ſupra nonaginta numerâſſet, coronari tamen in Cœlo, & conregnare cum Chriſto non poterat, niſi priùs ſatìs cum Chriſto Crucifixo paſſus eſſet in terris. Ita ſecundùm quietem, per Angelos cœleſtem ei coronam nectentes intellexit. *In vita.* Non coronatur, niſi qui legitimè certaverit.

Diſcam à te utinam, O S. Guilielme, JESUM meum patiendo imitari, ut etiam cum eodem aliquando in cœlis merear coronari. Et Tu cumprimis -- O pijſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præſertim hodierni, & diei mortis meæ, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, examinabo me: an cum patiente JESU tulerim ea, quæ hactenus erant ferenda.

Quid inter omnia opera DEI, in quibus humanæ admirationis fatigatur intentio, ita contemplationem mentis noſtræ & oblectat & ſuperat ſicut Paſſio Salvatoris? *S. Leo.*

Q. Quare crucifixio Chriſti fuerit adeò grande, & quidem graviſſimum malum? ℟. Quia tantò erat majus peccatum enecare Chriſtum, quantò majus bonum, erat illius vita; hæc autem prout juxta erat divinitas, infiniti erat pretij & valoris. *S. Thom.*

S. Guthbertus Lindisfarnensis Episcopus in JESU crucifixi memoriam, & venerationem feriâ sextâ solebat jejunare, nec pisces, nec fructus degustabat, neque etiam, licèt longi itineris molestijs propè confectus ab hoc sancto suo proposito potuit amoveri; memor illius diei, qua DEUS nos per vulnera, per sanguinem, & sanctissimam in cruce mortem de Ægypto eduxit, & de domo servitutis. *V. Beda.* Adeò sanctos Ecclesiæ Pastores, quidni & bonæ oviculæ sequantur?

S. Guthberte, ora pro me, ut nunquam recedat à mente JESUS Redemptor, nec grande illud beneficium redemptionis, sed vigeat in me semper grata recordatio Dominicæ Passionis. Et Tu cumprimis -- O pijssima Virgo, &c *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, saltem abstinebo ab omnibus fructuum primitijs in honorem JESU crucifixi.

Venite huc cuncti Ecclesiæ filij, qui pretioso ac sancto sanguine immaculati Domini redempti estis. Venite: Passionem Domini cum lacrymis atque singultibus meditemur. *S. Ephrem.*

Q. An Judæi ignoraverint, quid agerent, occidendo Christum? ℟. Optimè agnoverunt Principes Judæorum: si autem ignorâsse dicantur, erat ignorantia affectata, quæ eos excusare non poterat; ideò peccatum illorum erat gravissimum. *S. Thom.*

B. Joan. Franciſcus Regis totus erat in meditatione JESU crucifixi. In hoc omnes erant Franciſci delitiæ, tota illius Bibliotheca, totus pro miſſionibus Apoſtolicis apparatus erat crucifixus. Dum rudibus pueris Chriſtianæ fidei myſteria explanabat, crucifixi DEI-hominis ſimulacrum, quod aliàs ſemper in pectore circumferebat, offerebat oſculandum, ejúsque tenerrimum amorem & venerationem commendabat. Induratos peccatores exhibitâ Crucifixi effigie ardenter alloquebatur, ſicque ſaxea etiam pectora ad pœnitentiæ lacrymas emolliebat. *In vita.* Sic nempe vivunt, ſic loquuntur homines mundo Crucifixi, quibus unus & ſolus Rex Regum eſt in pretio & amore.

B. Franciſce, impetra nobis, quæſumus, ut JESUS crucifixus ſit nobis in corde, JESUS crucifixus ſit in ore, JESUS crucifixus ſit nobis ſemper in cogitatione. Et Tu, &c. - - O *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, conabor quacunque tandem ratione cooperari in ſalutem animarum.

Gaudeo, & vehementer gaudeo, quod moriar in Soc. JESU: at magis gauderem, ſi in illa propter JESUM Chriſtum mori in patibulo obtigiſſet. *P. Lud. Carlier. S. J.*

Q. Quomodo ergo Principes Judæorum fuerunt ita excæcati? ℟. Per invidiam & nimiam cupiditatem gloriæ propriæ, quam per eminentiam Chriſti putabant imminui. *S. Th.*

S. Maria Magdalena de Pazzis Florentina, à teneris tenerrimè devota JESU crucifixo, ubique usque ad vitæ finem, sinceri sui erga sponsum sanguinum, amoris indicia dedit. Spinis coronato capite totam noctem transegit, ferijs sextis semper dolores gravissimos sensit, cruciariam vestem, & quinque sanctissimas Christi plagas ab ipso Christo accepit, imò etiam dolores Christi in cruce morientis experta est. In morbo supremo, nil nisi *pati, pati, pati*, desiderabat. Hoc ardentissimum patiendi desiderium ex ipso SS. Latere Christi hausisse videbatur. *Lyr. Sand.* Hauriunt nempè salutem à Domino, qui non sitiunt cisternas mundi dissipatas.

Impetra nobis S. Magdalena à sponso tuo unicè dilecto JESU Christo, ut te amore Divino succensam, & cœlestibus donis decoratam, puritate & charitate imitemur. Et Tu cumprimis -- O piissima, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, hodie animam meam JESU crucifixo dilectione perpetua desponsabo.

Si desideratis filiæ meæ brevi pervenire ad grandem perfectionem, apprehendite pro vestro Magistro JESUM crucifixum. Habete ad ejus dicta, aures attentas: semper enim nobis ad cor loquitur. *S. Magd. de Paz.*

Q. An reliqui Judæi minùs peccaverint? ℟. Gravissimè quidem peccârunt, minuebatur tamen delictum: quia in multis per ignorantiam peccârunt. *S. Th.*

S. Philippus Nerius ſecum ænei crucifixi imaginem ſemper circumferebat, ut eam cordi admovere, & conſtanter ſui cordis affectus poſſit explere. Sæpius tantum in illo exardeſcebat deſiderium ad Indos proficiſcendi, & ſanguinem fundendi pro animabus illis (quas tantis impendijs DEI Filius in cruce redemiſſet) ut identidem diceret: *O utinam pro te bone JESU tantum ſanguinis effunderem, donec minima ſaltem ex parte maximo tuo reſpondeam amori:* vix audito ullo de Dominica paſſione verbo, in lacrymas diffluebat, imò totus ſpirare deſinebat, arteriarum pulſu omnino deſtitutus. *Lyr.* An non liberali animo vitam reddamus illi, à quo eandem accepimus?

Adoro te Domine JESU Chriſte crucifixe, & per S. Philippum intercedentem oro te ſuppliciter, exaudi me, & da mihi gratiam moriendi pro te. Et Tu cumprimis -- O &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, pactum hodie inibo cum JESU crucifixo, ut omnes cordis mei motus, totidem ſint indicia mei erga eundem amoris.

Si vel minimam particulam cordis mei ſcirem non eſſe ſignatam crucifixo, nollem vel momento, eam retinere. *S. Franc. Saleſ.*

Q. Cur tam graviter peccaverint Judæi? ℟. Quia viderunt & miracula & ſanctitatem Chriſti: audiverunt à Pilato, hominem ſanctum & innocentem pronunciari; ſine cauſa ad mortem damnari. *S. Thom.*

S. Forannanus Metropolitanæ Scotorum Ecclesiæ Antistes, vir Crucifixi cultor, & imitator assiduus, monitus ab Angelo, ut vallem trans mare sitam adiret, ibíque prædicaret JESUM crucifixum; Verùm nullo navigio reperto succurrit Dominus. Duo ligna in crucis formam disposita ad littus appulêre. His navigij locô, usus est Forannanus, séque cum decem socijs mari commisit, atque in Gallia plurimos JESU Crucifixo Discipulos formavit. *Joan. Molan.* Mundus mare est: ad beatæ æternitatis portum appellere contendimus; sed non sine cruce.

Domine JESU crucifixe, qui S. Forannanum ad prædicandum tuum Evangelium misisti: Ejus meritis & intercessione concede, ut quæ nobis agenda præcipis, te miserante adimplere possimus. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, optabo, ut multos ad JESU crucifixi amorem, & venerationem verbo adducere possim & exemplo.

Non judicavi me scire aliquid inter vos nisi JESUM Christum crucifixum: Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. 1. Cor. 2.

Q. Cur ergo Christus Judæos excusaverit? R. Ut magìs eluceat virtus dilectionis inimicorum, ideò Christus excusat, & extenuat culpam. *Basil.*

S. Felix Tuborocensis Episcopus in Africa non tantum in vita, sed etiam in morte se JESU crucifixo quàm sæpissimè commendavit. Ad martyrii locum deductus, provolutus in genua, caput inclinavit dicens: *Domine JESU, tibi cervicem meam in victimam flecto*, sicque amore JESU crucifixi, quem ore semper & animo volvebat, vitam & sanguinem DEO immolavit. *In vita.* Pro patria, pro Principe sanguinem & vitam profundimus: & quid pro cœlo agimus? quid pro DEO?

Ora pro me S. Felix, tuísque precibus effice, ut hìc multa pro Christo JESU patiamur in terris, & tecum eâdem felicitate perfrui mereamur in cœlis. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, desiderabo, ut cor & corpus, & animam meam, vitam & sanguinem, sibi sacrificatum habeat JESUS crucifixus.

Qui novit Christum crucifixum, nihil ultra quærat, quia hic perfecta virtus & sapientia est. *S. Ambr.*

Q. Quale signum sit diligere inimicos? ℟. Est indicium magnanimitatis, argumentum perfectæ virtutis & sanctitatis. *Paccinch.*

S. Ubaldus ex assidua JESU crucifixi contemplatione eam vivendi rationem iniit, ut victu modico, lectulo aspero, & pauperrimo contentus, carnis mortificationem in suo corpore jugiter circumferret. Persecutores suos mirifico prosequebatur dilectionis affectu, atque inter acerbissimos corporis dolores, & diuturnas infirmitates, oculis, & animo in crucifixum semper intento, DEO gratias agebat indesinenter. *In vita.* Qualis sis inter adversa, loquela manifestum te facit.

S. Ubalde, impetra nobis à JESU tuo crucifixo, ut discamus inimicos diligere, & pro iisdem Dominum nostrum JESUM Christum exorare. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, prælertim hodierni, & diei mortis meæ, & Vos, ô beatæ in cœlis animæ, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, ex toto corde ignoscam illis, qui me offenderunt.

O quanta spes! quanta fiducia reposita est mihi in morte tua, & sanguine tuo! *Lud. Blos.*

Q. An uterque latro blasphemaverit Christum?

℟. Initio quidem uterque blasphemavit Dominum; deinde tamen alter resipuit. *S. Chrys. S.Thom.*

S. Joannes Silentiarius, novæ vitæ candidatus, DEUM frequentissimè obsecrabat, ut locum ei gratum, salutísque propriæ consequendæ idoneum ostenderet; noctu repentè lucidissimam quandam stellam conspexit, quæ signum crucis in se habebat expressum, vocémque audivit: *si vis salvus esse, sequere hanc Lucem*, secutúsque est stellam, & ad maximam Sabbæ Lauram pervenit, ubi veterem hominem exuit, & Christo JESU crucifixo in omnibus studuit assimilari. *In vita.* Quàm paucis hæc stella oritur, ex tam multis!

S. Joannis precibus confisus obsecro te Domine JESU Christe, ut illumines tenebras mentis meæ, illúdque efficias, sacrosancta crux tua luceat mihi ad vitam æternam. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, conabor in omnibus externis actionibus meis, vitam morésque Christi imitari, illíque in omnibus conformari.

Saucia ô bone JESU interiora animæ meæ, memoriâ vulnerum tuorum, inscribe atque imprime illa cordi meo, & mentem meam tuo sanguine prorsus inebria, ut tibi soli intendam. *Lud. Blos.*

Q. Quomodo Dismas sit conversus? ℟. Visâ patientiâ Christi, aliísque signis & miraculis in Christum credidit, Regem adoravit, vitæ auctorem pronuntiavit, & priora sua convitia deflevit. *S. Prosper.*

B. Elisabetha Schönaugiensis singulari pietate solebat sub sanctissimo missæ sacrificio sanctissimæ Passionis Dominicæ memoriam recolere: Dum Sacerdos exaltabat calicem, vidit supra eundem, JESUM Christum, quasi in cruce pendentem, & de ejus pedibus, ac latere sanguinem in calicem defluentem. *In vita.* Quanta & tu bona perciperes, si ritè divinis mysterijs interesses.

B. Elisabetha, ora pro me JESUM Christum, ut in me augeat spiritum veræ devotionis, & sanctæ erga JESUM crucifixum compassionis. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, devotè semper sacrificio missæ interero, rememorando mysteria Dominicæ Passionis.

Quomodo possibile est, ut peccatum in carne nostra non regnet, si nos Apostoli monito attemperemus, semper mortem Christi in corpore nostro circumferentes. *Orig.*

Q. An S. Dismas possit etiam dici Martyr? ℟. Affirmativè, quia etiam ob fidei causam est passus: milites enim quando venerunt, ut latronum crura frangerent, antequam morerentur, præter alias causas id etiam fecêre ex odio in Christum, quia viderant latronem, eum coluisse, & tanquam Regem cœli & terræ confessum fuisse. *Bonav.*

HOdie Festum Cordis B. V. MARIÆ celebratur: Quid reperies in hoc SS. Corde nisi omnia plena amore, plena dolore: Adeò enim per amorem tenerrimum sanctissima Mater confixa erat cruci, & JESU crucifixo, ut cum filio suo præ amoris & doloris magnitudine crucifigi videretur. Hinc jam olim gemebat: *Ne vocetis me Noëmi, id est pulchram, sed vocate me Mara, id est amaram: quia amaritudine valde me replevit Omnipotens.* Ruth. 1. c. JESUS carne, MARIA passa est corde: Mors Domini, illi morte amarior fuit. *B. Amad. Lausan.* Est ne tibi cordi, Mater boni cordis MARIA?

O Domine JESU Christe Fili DEI vivi! da mihi, quæso, cor secundùm cor tuum, & secundùm cor dilectissimæ Matris tuæ MARIÆ, ut cor meum in vita & in morte, nil cupiat, nil velit, nihil diligat, nisi quod est secundùm cor tuum ô JESU & MARIA. Et Tu cumprimis - - O piissima &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, curabo, ut hodie Cor omnino mundum ab omni inquinamento peccati, offeram B. V. MARIÆ.

MARIA gladio doloris, animæ ejus infixo vulnerabatur spiritu, & crucifigebatur affectu; & quod in carne Christi agebant clavi & lancea, hoc in MARIÆ mente compassio naturalis, & affectio maternæ dilectionis. *Arnold. Car.*

Q. An Latronis in cruce conversio fuerit miraculosa? ℟. Nullatenus de hoc dubitandum est,

S. Cyprianus Episcopus Carthaginensis, quotiescunque adversa patiebatur, illico recurrit ad JESUM crucifixum, atque Ejusdem aspectu & contemplatione, omnem animi amaritudinem posuit, pristinæ mentis tranquillitati restitutus. Id ipsum sanctus hic Antistes alijs quoque suasit. Martyres ad subeunda quævis pro Christo JESU tormenta, ipsámque mortem exhortabatur; dicens: *Nunc tempus advenit, quo probari potest, qui se veros DEI filios profiteantur.* Auditâ mortis suæ sententiâ *DEO gratias*, inquiebat, *qui me à vinculis hujus corporis dignatur absolvere*, jussitque illico carnifici 25. aureos numerari ob beneficium ab eo accipiendum. *In vita.* Omnia in omnibus sit mihi JESUS crucifixus.

Gratiam & robur mihi necessarium impetra, O S. Cypriane, ut quæcunque ferenda sunt, feram animo patienti. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, licèt aliquid patiar, saltem ab omnibus querelis abstinebo.

Hoc sentite in vobis, id est intra vos, quod in Christo JESU videtis: quia membra cum capite debent infirmari, quia cui caput infirmum, cætera membra dolent. Dicit ergo: O membra sentite dolorem capitis vestri. *Hugo.*

Q. Quare conversio Dismæ fuerit miraculosa?
℟. Sicut sanitas præter ordinarium cursum repentè & perfectè alicui ægro restituta, est miraculosa; ita etiam hæc conversio.

S. Clotildis à Clodovæo Galliarum Rege adhuc Pagano interrogata: *quî fieri posset, ut in JESUM Christum credat, illúmque adoret, qui in infami crucis patibulo mortuus est.* Sancta verò & prudens Regina reposuit: *O Rex Clodovae! Crux certè fidem meam non imminuit, sed potiùs mirificis auget incrementis. Si enim Christus JESUS venisset armis & militibus stipatus, aut thesauris onustus, non magis illum, quàm te utpote præpotentem in terris Regem venerarer. Sed dum altiùs illud pensito, quòd non armis sed cruce, totum mundum subegerit, & signa sua Passionis etiam in frontibus Regum plantaverit, tum certè palàm fateri cogor, opus hoc esse divinum & supra omnes vires humanas. Greg. Turon.* O si Sanctorum consilia audire & sequi velles?

O S. Clotildis impetra mihi à crucifixo JESU, & fidei, & spei, & charitatis augmentum Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, orabo pro incremento S. Fidei & Ecclesiæ DEI.

Tantò DEUS ab hominibus digniùs honorandus est, quantò & pro hominibus indigna suscepit. *S. Greg.*

Q. Quæ verba dixerit Christus ad Latronem? ℟. Sequentia: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso.

S. Constantinus ex Hebræo Christianus, crucis amantissimus, toto vultu semper radiabat, quoties preces suas coram crucifixi simulacro persolvebat. Innocentiam suam ut salvam servaret, crucis ligno se defendit, atque tentantem ad flagitium, arrepto Crucifixo & percussit, & propè exanimavit; prodigiosè tamen, iterum pœnitentem sanavit. Placuit id Salvatori. Qui etiam Constantinum solutis è cruce brachijs, suavissimè est amplexus, ejúsque fronti sanctæ crucis signum impressit. *Lyr.* Multos numeraret terra innocentes Constantinos, si majori in pretio & amore esset JESUS crucifixus.

Adesto nobis benignissime JESU, & intercedente pro nobis S. Constantino, de inimicis meis eripe me, & in omni bono confirma me. Et Tu cumprimis - - O piissima, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, angelicam S. Constantini puritatem imitari satagam, omnem morum dissolutionem præcavebo.

Multùm in hoc opere laboravit author mundi, nec in omni fabrica mundi tantam fatigationem sustinuit: Dixit enim & facta sunt: at verò pro reparatione generis humani, magnos & multos & diuturnos labores sustinuit & dolores. *S. August.*

Q. Quare Christus vocem *Amen* addiderit, cùm aliunde sit fidelissimus in promissis? ℟. Quia paradoxum videri poterat, latroni promitti paradisum.

S. Eligius Noviodunensis Præsul in extremis constitutus, conversus ad JESUM in cruce pendulum sic orâsse legitur. Aperi mihi Domine JESU latus tuum, & cor divinum lanceâ olim apertum, ut tenebrarum princeps non occurrat mihi; nec potestates hujus aëris conturbent, sed hoc me vulnus protegat, atque defendat: Demum inter pientissimos erga JESUM crucifixum affectus exspiravit. *Andan.* Non deserit Dominus suos in morte, qui in vita eundem non deseruêre.

S. Eligi, precibus tuis adjuva nos, & nobis supernum à bono JESU exora auxilium, ut eidem debitum servitutis nostræ obsequium ferventer reddamus. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, frequenter misericordiam DEI implorabo pro decretoria præsertim hora mortis meæ.

Omnino æquum est, ut ipsam dispensationem nostræ redemptionis, frequentissimo animo pertractemus, & pro illa sedulò gratias agamus: nam & id Domino gratissimum & nobis utilissimum est. *Lud. Blos.*

Q. Quæ fuerit actio Christi in cruce maximè admiranda? ℟. Quòd latronem converterit: In hoc enim resplendebat divinitas, omnipotentia, bonitas, misericordia, & charitas DEO digna. *S. Chrys. S. Thom.*

S. Norbertus Magdeburgensis Archiepiscopus, vir potens opere & sermone, multorum Monasteriorum Fundator, & Sanctæ Religionis eximius Propagator, ab ipso JESU crucifixo, felicem filiorum ordinis sui progressum intellexit. Tenerrimus hic amator crucifixi noluit sepeliri alibi, nisi in medio Monasterij ad aram S. Crucis. *In vita.* Hic requies mea. Quis me separabit à Charitate Christi? Neque mors.

Orationibus tuis adjuvemur S. Norberte, ut JESU Christo fideliter servientes in terris ille nos cœlestis gloriæ suæ faciat esse consortes. Et Tu cumprimis -- O piissima &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, examinabo me hodie, an & ego feliciter progrediar in virtute.

Recogitate eum, &c. Quibus verbis nos ad laborum & dolorum Christi magnitudinem non semel atque iterum, sed perpetuò considerandum hortatur: Hoc enim recogitandi verbo significare voluit: Ea enim beneficii hujus magnitudo est, ut nullo unquam tempore apud nos memoria intercidere debeat. *Ludov. Granat.*

Q. Quales virtutes exercuerit S. Dismas in cruce? ℟. Primò fidem: Quia regnaturum Dominum credidit. Secundò spem habuit, quia regni ejus aditum postulavit. *Greg.* Tertiò charitatem, quia factus est collega Martyrij. *Aug. Hieron. Cypr.*

S. Dulas Martyr insignis, inter gravissima tormenta & supplicia, generoso hilaríque semper erat animo, mentémque suam in Christum de cruce pendentem defigebat, sæpiùs illud iterans: *Quomodo comparere audebo coram Christo vulnerato, si non sim ipse vulneratus.* Volebat proinde servus hic fidelis, suo assimilari Domino, discipulus Magistro. *In vita.* Adeò jucundum est pro Christo pati, adeò dulce est mori.

Interveniat pro nobis Domine JESUS! Dulas Martyr tuus, ut tantæ fidei & Christianæ fortitudinis proficiamus exemplo. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, orationi conjungere satagam mortificationem amoris proprij.

Recogitate eum, qualis & quantus sit: Eum, qui est filius consubstantialis Patri. Eum, qui est speciosus formâ præ filijs hominum. Eum, qui est ipsa Innocentia, Justitia, Bonitas. Eum, qui est DEUS-homo, homo DEUS, Sanctus Sanctorum. &c. Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus contradictionem. *S. Ans.*

Q. An etiam S. Dismas, amorem erga proximum, exercuerit? ℟. Quod ita: quia alterum blasphemantem increpuit: Neque tu times DEUM, quod in eadem damnatione es: Et nos quidem justè: nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali gessit.

B. Clara Ariminensis, ex Ordine S. Francisci, in die Parasceves concioni interfuit de supremis Christi in cruce doloribus: Domum redux in cubile se recepit, atque in ipsa Passionis Dominicæ contemplatione spineam sibi imponi sensit coronam, & quidem adeò gravem, ut 15. diebus caput attollere non posset. *Histor. vitæ.* Spinis suos coronat Christus, mundus rosis.

Per intercessionem B. Claræ esto Domine JESU propitius famulis tuis, & concede, ut per adversitates temporales vitia nostra purgentur, & justa desideria compleantur. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, satagam interesse concionibus attentè & devotè, ut semen verbi divini faciat in corde meo fructum centuplum.

Omnes, quos mundus vidit unquam morbos & dolores, aut experietur imposterum, libentissimè tolerabo, si vel sic omnes mortales ad amorem Domini mei JESU Christi allicere possem. *P. Nicol. Schlaning. S. J.*

Q. Quale fuerit tertium verbum Christi in cruce? ℟. Erant verba illa ad SS. Virginem: *Mulier ecce filius tuus*, & ad S. Joannem: *Ecce Mater tua*,

B. Victoria in ultima ſua infirmitate ſacrum JESU crucifixi ſimulacrum ex utraque lecti parte collocabat, ut quamcunque ſe in partem converteret, ſemper Chriſtum crucifixum pro ſuo ſolatio poſſet intueri. Hinc dum morti jam erat proxima, Dæmon cubile illius ingredi non eſt auſus. *P. Barri.* Meritò tot inter hoſtes ille ſemper obverſatur oculis & animo, ſine cujus adjutorio nulla ſperanda victoria eſt.

B. Victoria, pro me ſupplex deprecare JESUM crucifixum, ut ipſe ſit adjutor meus, & protector meus, præſertim in hora mortis meæ, dum appropinquabunt mihi inimici mei, qui volunt mihi mala. Et Tu cumprimis -- O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, cubile meum dedicabo JESU crucifixo, nec imaginem, nec librum, aut aliud quidpiam ibidem tolerabo, quod Crucifixo diſpliceat.

Multa bona confert homini Paſſio Chriſti ad memoriam reducta, & quantò ſæpiùs ac intenſiùs de ea cogitatur, tantò dulciùs ſapit, & vehementiùs compungit. *Th. Kemp.*

Q. Qualis dolor fuerit quantúſque Beatæ Virginis? ℟. Dolor intenſiſſius. Quantus enim dolor fuerit Matris, cùm ſic doluerint etiam illa, quæ inſenſibilia erant! *S. Bern.*

S. Margarita Scotiæ Regina, nullam abire noctem sinebat, qua non Officium de S. Cruce oraret: morbis & doloribus plena crucifixum aspiciebat, & teneriores inter affectus gratias agebat. Crucem Scotiæ nigram, quam semper in veneratione habuerat, suavissimè amplexa, ad Cœlestem patriam abiit perfusa gaudio & consolatione. *Hist. Scot.* Similes Margaritæ, pretiosæ quidem sunt in oculis Domini, utinam in mundo non essent adeò raræ.

Respice, quæso S. Margarita animam meam tibi supplicem, mihíque impetra per infinita merita JESU crucifixi, ut omnes morbi dolores omniáque adversa pacato animo feram, imò ipsam mortem acceptem, tanquam singulare DEI beneficium, & tanquam medium ad salutem meam æternam promovendam. Et Tu cumprimis - - O piissima &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, labores & dolores offeram Patri æterno in unione dolorum JESU crucifixi.

Nihil scio in mundo, quod tantum veritatem scripturæ elucidet, tantum ad cœlestia contemplanda elevet, &c. tantum ad DEUM sapiendum illuminet, sicut Passio JESU Christi. *S. Bonav.*

Q. Cur Christus Sanctissimam Matrem suam non in montem Thabor, sed in montem Calvariæ secum assumpserit? ℟. Ut patiendi sitientissimus JESUS sibi duplicaret cruciatus. *S. Thom.*

S. Barnabas Apoſtolus, Vir Spiritu Sancto plenus, Antiochiæ, Seleuciæ, & in Cypro prædicabat Evangelium, multos ubique ad Chriſti Fidem convertit, vacillantes in eadem ſanctis adhortationibus confirmavit, Templa in honorem S. Crucis erexit, & facultatibus ſuis Chriſtianos in Judæa ſuſtentavit, nihil in ore verſabat, niſi JESUM & hunc crucifixum. *In vita.* Ex abundantia cordis os loquitur.

Exerce in me zelum tuum ſancte Apoſtole, ut doctrinam JESU crucifixi, quem prædicâſti, etiam ipſo opere exequamur. Et Tu cumprimis -- O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! Vóſque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præſertim hodierni, & diei mortis meæ, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, linguâ, viribus, valetudine, &c. utar ad gloriam JESU Chriſti, meámque & aliarum animarum ſalutem promovendam.

Reverà Paſſio Chriſti eſt theſaurus DEI abſconditus, plenitudo omnis virtutis, perfectio religioſitatis, ſumma totius ſanctitatis. *Thom. Kemp.*

Q. Quare Chriſtus adeo ſpecialiter ſanctiſſimam Matrem ſuam ſit allocutus? ℟. Ut filijs omnibus relinqueret ſpecialiſſimum filialis, erga Parentes, pietatis & affectûs documentum. *Paccinch.*

B. Catharina Genuensis, octo circiter annorum puella, quoties cubiculum ingrediebatur, in Christi crucifixi effigiem oculos convertebat, basia figebat, atque inter calidissimos amoris affectus exclamabat sæpius: *O JESV crucifixe! non ampliùs peccatum, non ampliùs peccatum, non ampliùs! ô JESV Crucifixe non ampliùs! In vita* Quantum probrum est, si etiam infantes sapiant, adultis meliora.

Per intercessionem B. Catharinæ accendat in nobis Dominus ignem Divinæ charitatis, ut Spiritûs Sancti fervore concepto, vitia nostra seriò expiemus, & in fide inveniamur stabiles, & in sanctis operibus efficaces. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, &c. *fol.1.*

Ad quod impetrandum, eundem actum, juxta exemplum B. Catharinæ, hodie sæpiùs coram Crucifixo repetam.

Per balsamum, quod odoriferum est, & putredinem arcet, intelligitur Passio Christi, cujus recordatio, omnium peccatorm putredinem sanat. *Hugo.*

Q. Quare Christus non Matris sed Mulieris titulo usus est, alloquendo Beatissimam Virginem? ℟. Ne materno nomine ampliùs dolorem excitaret. *S. Thom.* Hinc *Bapt. Mantuan.* Talibus admonuit matrem sine nomine matris, ne materna pium lacerarет viscera nomen.

XIII. JU-

S. Antonius dictus Patavinus quàm sæpissimè Christum crucifixum in contemplatione sua suavissimè alloquebatur, arctissimo amplexu stringebat, manus in similitudinem Crucis extendebat, séque in vulnera JESU crucifixi totum quantum demergebat. Hinc omnem etiam spem in varijs prodigijs patrandis, in cruce Domini collocabat: signo S. Crucis ægros sanabat, cæcis visum, surdis auditum restituebat, imò hoc salutis & vitæ signo, etiam mortuos suscitabat, in nomine JESU crucifixi. *In vita.* Cruces & adversa amare, miraculum majus est, quàm mortuos suscitare: istud te admirandum hominibus, illud te gratum DEO fecit.

Magne Thaumaturge S. Antoni, unicum hoc in frigido corde meo operare miraculum, ut in me crescat in dies, terrenorum omnium & totius mundi fastidium, econtrà sincerus JESU crucifixi & crucis amor continuum sumat incrementum. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, rogabo, ut ex vetere homine, novô prodigio novus homo efficiar, Christo crucifixo omnino conformis.

Certum est, quod ubi mors Christi in mente circumfertur, non potest regnare peccatum. *Orig.*

Q. Quare Christus B. Virginem Joanni in Matrem reliquit? ℟. Ad explicandam excellentiam meritorum S. Joannis.

S. Basilius per regiam Crucis viam, vitæ suæ cursum ad terminum deduxit, æquissimo animo contumelias & calumnias tulit, sæpissimè expansis in crucis formam manibus preces persolvit, & postquam adstantes præclaris monitis ad omnem pietatem est hortatus, S. Cruce arreptâ, illis Domini Salvatoris nostri verbis: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, lætus animam suam ad Crucifixum Dominum transmisit. *S. Greg.* Mors optima veritatis magistra.

Merita sua apud JESUM crucifixum pro nobis interponat Magnus in DEI Ecclesia Basilius, illúdque impetret, ut magno animo, quæ recta sunt, agamus, & quæ adversa occurrunt, JESU Christi amore hilariter feramus. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, singulos vitæ meæ dies & actiones ita instituam, ut finis actionum & vitæ meæ, sit crucifixus.

Tanta vis crucis Christi est, ut si ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla possit superare invidia *Orig.*

Q. Quæ nam sint illæ peculiares excellentiæ S. Joannis, ob quas Christus B. Virginem, ei in Matrem dedit? ℟. Primò quia Joannes vocatus à Domino, Patrem, & Matrem, & omnia citissimè reliquit. Secundò, quia Virgo erat. Tertiò, quia de pectore Christi hausit omnes sapientiæ thesauros. *S. Ambr.*

XV. JU-

B. Joannes à Cruce interrogatus à Christo, quid mercedis sibi pro laboribus ad DEI gloriam exantlatis deposceret: nihil cunctatus respondit: *Domine pati, & contemni pro te.* Anno post ejus mortem tertio, dum de sancto ejus corpore particula quædam carnis præcisa est, ad multorum præsentium stuporem, apparere in eadem cœpit, JESUS Christus Salvator noster cruci affixus. Vir nempe sanctus ita in se Crucifixi JESU virtutes expresserat, ut verè dicere potuerit: Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus. *In vita.* Cura, ut imiteris: Quâ viâ præivit Christus, sequatur Christianus.

Perora pro me apud JESUM crucifixum crucis amator, & Crucifixi imitator gloriosissime B. Joannes, illúdque mihi exora, ut mihimetipsi moriar, vitáque mea tota abscondita sit in Christo JESU. Et Tu cumprimis -- O pijssima Virgo, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, offeram me hodie ad multa patienda amplissimo affectu.

Ecce! mittitur Virginis Filius DEI altissimi, & jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioso sanguinis illius balsamo medeatur. Agnosce ô homo, quàm gravia sint vulnera tua, pro quibus necesse est Christum Dominum vulnerari. *S. Bern.*

Q. Quare Christus ex cruce allocutus sit & matrem & discipulum? ℟. Ut iste illi serviat, sicut filius matri, ista verò illum diligeret, sicut filium mater. *S. Th.*

S. Lutgardi Virgini, dum Passionem Dominicam devotè recolebat, toto corpore sanguinem sudavit, Christus crucifixus se spectabilem stitit dicens: *Vulnera mea ad te clamant assiduè, ut pro peccatoribus orares*; eidémque lateris sui vulnus ostendit, & dixit: ut amore alio creaturarum posthabito in solis vulneribus JESU quæreret, quod amaret. Quod cùm fecisset Virgo sanctissima, Christus manum resolvit à cruce, eámque amplexus, lateris sui sanctissimo vulneri admovit, & tandem eam sub umbra crucis sibi desponsavit. *In vita.* Talem amorem rependere solet JESUS crucifixus dilectis suis.

Pro animæ meæ salute, esto & tu solicita S. Lutgardis, & tum ad preces pro peccatoribus fundendas, vulnera JESU Christi ad te clamant, ora primùm pro me, quia peccatorum ego primus sum. Et Tu &c. -- O *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, orabo frequenter, imò quotidie, ut in gratia DEI, in amplexu JESU crucifixi moriar.

Blanditias inepti amoris posthac vide, nè requiras: hic jugiter contemplare quod diligas, & quam ob rem diligas, hic ego totius puritatis delicias tibi polliceor obtinendas. *Ita Christus ad S. Lutgard.*

Q. An ultima verba Christi mereantur peculiarem recordationem? ℟. Quidni? si enim verba Patris ituri ad sepulcrum sunt hæredibus tam grata: hæredibus Christi, qualia debent esse ejus verba novissima? *S. Aug.*

B. Rainerius fidelis DEI famulus, graviſſimis catenis collum & pedes onerabat, feriâ ſextâ alium non admittebat victum, niſi panem & aquam. Silentium rigidum ut ſervaret, lapidem continuò in ore tenebat: nodoſo trunco cervicalis locò utebatur: 25. annis ita vixit, ut converſatio ejus ſemper videretur eſſe in cœlis, & habitatio in vulneribus JESU Chriſti. Interrogatus, cur adeò ſeverè carnem ſuam tractaret, reſpondit: *Sicut D. N. J. C. in omnibus ſuis membris pro me paſſus eſt, ita & ego pati volo in omnibus membris corporis mei. In vita.* Oportuit & Chriſtum pati, & ſic intrare in gloriam ſuam: Quid ergo aliam in cœlum ſemitam quæris? Vix invenies.

Memento mei B. Raineri, illúdque mihi impetra, ut Paſſio Domini mei JESU Chriſti me ad virtutes tuas ſectandas ſtimulet, & inter cruces & adverſa me confirmet. Et Tu cumprimis - - O piiſſima Virgo, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, rumpam vincula & catenas malæ conſuetudinis.

Unicuique Chriſtiano dedit Chriſtus Matrem ſuam in matrem, ita ut ipſa ſit Mater & Advocata omnium noſtrûm, quam poſt DEUM ſummè amare, & venerari debemus. *Carthuſ.*

Q. An B. V. etiam nobis data ſit in Matrem? ℟. Quòd ita: quia diſcipulus Joannes, deſignabat unumquemque fidelem. *Carthuſ.*

B. Osannæ Virgini febribus laboranti, Dominus JESUS crucifixus vulneribus & sanguine plenus visendum se præbuit, eámque his verbis est solatus: *Ah filia! Dolores sentis: majores ego tui causâ, in hac cruce sensi: guttulas dolorum tuorum misce cum hoc oceano meorum tormentorum, & minùs senties.* His ita animata erat Osanna, ut illud sæpiùs repeteret: *Ah quas pœnas, quantos dolores, quàm horribilia tormenta in pleno doloribus lectulo crucis, pertulit Unigenitus DEI Filius JESUS Christus! In vita.* O quàm efficax patientiæ Magister est JESUS crucifixus.

B. Osanna preces tuas mihi applica, ut crucifixus JESUS me inter afflictiones & adversa soletur, & præsertim in hora mortis, animæ meæ languoribus medeatur. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, omnia, quæ patiar aut agam, purâ intentione DEO offeram in unione Dominicæ Passionis.

Quotquot igitur gratiâ sumus indigni, stemus simul juxta crucem cum Beatissima MARIA, intúsque per compassionem crucifigamur. *Tauler.*

Q. Qualis Filius MARIÆ potuerit S. Joannes nuncupari? ℟. Benoni, seu filius doloris: si nimirum tristes loci, temporis, &c. circumstantias consideremus.

B. Juliana feriâ sextâ in honorem JESU crucifixi, nil cibi capere solebat, unicæ illius deliciæ in meditatione Dominicæ Passionis; ut verò agnosceret posteritas, quàm tenero affectu Juliana addicta fuerit JESU crucifixo, post mortem, ejusdem in pectore imago crucifixi, vivis velut coloribus depicta & expressa cernebatur. *Ferran.* Pone te ô bone JESU, ut signaculum, etiam super cor meum.

Peto humillimè, & spero à te in mortis hora solatium B. Juliana, cujus cordi intimè præsens erat DEUS consolationis, Gaudium Angelorum, *JESUS* crucifixus. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe; Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, hodie ex corde meo exturbabo, omnia displicentia DEO, & gratiam ibidem parabo JESU Christo mansionem.

Moriar ego millies potiùs, & mille fulmina me occidant, antequam te ego offendam, & vulnera tua renovem ô bone JESU. *P. Hieron. Pamar. S. J.*

Q. Quare B. Virgo præ omnibus aliis suis filiis spiritualibus dilexit S Joannem? ℟. Ideò præcipuè: quia Christus eundem in ipsa hora mortis suæ, Beatæ Virgini commendavit. *Paccinch.*

S. Silverius constantis animi Pontifex, quia Eutychianam insectabatur hæresim, Theodoræ Augustæ imperio missus est in exilium, & quidem in Insulam Pontiam, ubi suarum ærumnarum unicum in Cruce Christi, solatium reperit. Ex hujus frequenti contemplatione adeò confortabatur, ut ad Amatorem Episcopum scripserit: *Sustentor pane tribulationis, & aquâ angustiæ, nec tamen dimisi, aut dimitto officium meum, amore Domini mei JESU Christi. In vita.* Nec solem, nec stellam Ecclesiæ DEI, ferre possunt, qui magìs amant tenebras, quàm lucem.

Ora pro me S. Silveri, ut Dominus meus JESUS Christus non derelinquat me, neque discedat à mē in tempore præsertim ultimæ tribulationis. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, petam hodie à JESU patiente hilaritatem animi in adversis.

Tu O Christe JESU in cruce solus, & ab omnibus desertus; Et ego in lecto, implicitus quidem morbo, variis tamen allevior: adveniunt solliciti, circumstant, nemo non aliquid agit, ut mihi ministret officiosissimè. *S. Phil. Ner.*

Q. Ex quâ parte steterit B. Virgo sub cruce? ℟. Ex parte dextera, bonum inter latronem, & filium suum media. *S. Bernar.*

B. Aloysius Conzaga in itinere suo Romano, quamvis ob asperrimam hyemem frigore propè obrigesceret, nunquam tamen in diversorio focum adibat, sed solus in cubiculum recessit, atque ibidem coram crucifixo, quem secum deferebat, provolutus, duabus horis & amplius, continuò cum DEO agebat, & quidem tot inter lacrymas, gemitus & singultus, ut servos suos ad JESU crucifixi amorem stimularet. In morbo amaram potionem lentè bibit, memor Domini sui, felle & aceto potati. In ultimis ad Matrem literis, non proprium nomen, sed signum crucis subscripsit. *In vita.* Amanti animæ cum DEO, & de DEO nunquam satis.

O B. Aloysi impetra mihi, ut mihi verè dissipiat omnis mundana & vana confabulatio, sapiat mihi econtra oratio, & assidua cum JESU crucifixo conversatio, utpote cujus deliciæ sunt, esse cum filiis hominum. Et Tu -- O &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, hodie diutius quàm aliàs orationi vacabo.

Tibi ô JEsu in supplicii clivo, fellis potum Judæi obtruserunt, & ego fomentis, lenitivis, mellitis pharmacis confoveor & refocillor. *S. Phil. Ner.*

Q. Cur Christus sanctissimam Matrem voluerit proximam adesse cruci? ℟. Ut ipsa cruci velut aræ cominus assistens, filium suum DEO Patri offerre possit, in sacrificium publicum & solemne. *Lyr.*

DEcem millia SS. Martyrum in Armenia, Hadriani jussu primùm flagellis cæduntur, spinis deinde coronantur; tandem clavis humo affiguntur. Media inter supplicia gaudebant, & gloriabantur viri fortissimi, imò se beatos & longè felicissimos reputabant, quòd morte eâdem pro Christo JESU mori possint, quâ pro nobis JESUS mori dignatus est in cruce. Hanc diem S. Mater Theresia, annuâ celebrabat devotione, & quidem singulari. Hinc Sancta hæc Martyrum turba, quemadmodum promiserat, visa est, Seraphicæ Matri in morte assistere, ejúsque sanctam animam in cœlum comitari. *In Vita*. Dum causa DEI agitur, noli timere eos, qui occidere possunt corpus.

Adeste & mihi generosi Christi pugiles, & ad adjuvandum me festinate, præsertim in ultimo illo certamine, ut per vestrum præsidium confundantur, & revereantur inimici mei, qui quærunt animam meam. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, eligam hos SS. Martyres in patronos, rogando simul, ut unitis viribus me commendent JESU crucifixo.

Tu tantos dolores, cruciatus pateris, tantam amaritudinem: Et ego tantas experior delitias & lætias. *S. Phil. Ner.*

Q. Quare MARIA non sedisse, sed stetisse sub cruce legatur? ℟. Ad designandam, invictam ejus animi fortitudinem. *Lyr.*

B. Maria d'Ognies, Nivellis oriunda, quoties Christi crucifixi effigiem aspiciebat, toties commota animo, in copiosas solvebatur lacrymas, ultimis tribus ante mortem diebus continuò ad ravim usque, præ insolita gestientis animi lætitia canebat, eò quòd JESU suo, cui toties compassa erat, tandem aliquando esset in cœlis conjungenda. Ipso JESU Christo præsente, & sanctis Apostolis assistentibus, extremâ unctione est munita, & lætabunda spiritum DEO reddidit. *Jac. Vitr.* Unicum argumentum veræ lætitiæ est, bene vixisse, & bene mori.

B. MARIA, impetra mihi per pretiosas lacrymas tuas, quæ etiam sæpè pondera vocis habent, impetra mihi, ut bene vivam, & plenus spe salutis æternæ, lætus moriar. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, quotidie ita vivam, quasi quotidie moriturus.

O Passio amabilis & mirabilis! quæ suum meditatorem alienat, & non solùm reddit Angelicum sed Divinum. *S. Bonav.*

Q. Quare voluerit Christus, ut sibi morienti Mater Virgo assisteret? ℟. Ut ostenderet nobis contra Satanam, mortem, & peccatum, duo esse efficacissima media, *crucem* scilicet & *MARIAM* juxta illud: *Virga tua* (nempe Virga Jesse, ex qua flos JESUS ascendit) *& baculus tuus* (id est, Crux Domini) ipsa me consolata sunt.

HOdie ex S. Elisabetha aliàs sterili, mundo datus est gloriosissimus Christi Præcursor, summi Numinis Legatus, sanctificatus antequam natus, homo nempe missus à DEO, cui nomen erat Joannes. Hodie natus est Propheta Altissimi, imò plus quàm Propheta, de quo Dominus dixit: *Non surrexit inter natos mulierum, major Joanne Baptista.* Hodie natus est magnus coram Domino, Christi Præco, cognatus Christi, amicus sponsi, qui licèt non viderit JESUM crucifixum, vidit tamen & prædixit, imò digito monstravit JESUM velut agnum immaculatum pro peccatis nostris in cruce immolandum: *Ecce*, ajebat, *Agnus DEI! Ecce qui tollit peccata mundi. S. August. Bern.* Quid prodest Magnum esse, si non coram Domino.

Da nobis Domine per intercessionem sancti Joannis Baptistæ, spirtualium gratiam gaudiorum, per quem regenerationis nostræ cognovimus auctorem, Dominum nostrum JESUM Christum. Et Tu -- O &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, primùm curabo per vitam verè sanctam, magnus esse coram Domino.

Sinus matris expansus est, parata sunt foramina petræ, patent viscera misericordiæ DEI nostri. *S. Bern.*

Q. Quare adhuc B. V. adstiterit Christo morienti? ℟. Ut sciamus hanc esse asylum certissimum in hora mortis. *S. Bern. Bonav.*

S. Christina mirabilis, oculis & animo semper hærebat defixa in laterale vulnus JEsu crucifixi. Tantâ sacram illam plagam religione prosequebatur sancta hæc anima, ut quocunque tandem modo tentaretur à maligno spiritu, illico ad vulnus lateris JEsu crucifixi, veluti columba in foramina petræ se reciperet; sicque semper admirabiles de hoste referebat triumphos. *In vita.* Ubi thesaurus tuus, ibi & cor tuum.

O S. Christina! juva me precibus tuis, ut bonus JEsus nulli me succumbere permittat tentationi, aut perturbationi. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JEsu, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, & diei mortis meæ, & Vos, ô beatæ in cœlis animæ, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, occasiones tentationum conabor evitare.

Petra refugium herinaciis. Et revera, ubi tuta firmáque securitas & requies nisi in vulneribus Salvatoris? Tantò illic securior habitatio, quantò ille potentior est ad salvandum. *S. Bern.*

Q. Quare MARIA uni Latroni præ altero gratiam conversionis impetraverit? R. Quia Dismas, MARIÆ cum JEsulo in Ægyptum fugienti, singulare quoddam beneficium præstitit. *S. Anselm. Richel. Recupit.*

SS. Joannes & Paulus ſeveris Juliani Apoſtatæ comminationibus, minimè territi, mori potiùs elegerunt, quàm Jovi ſacrificare. Reſpicientes ſiquidem in authorem fidei & conſummatorem JESUM, Terentianum Prætorianæ cohortis Præfectum, intrepidè ſic fuêre allocuti: *Si tuus Dominus eſt Julianus, habeto pacem cum illo; nobis alius non eſt, niſi Dominus JESUS Chriſtus. In vita.* Non eſt timenda pœna, ſed culpa: Hæc omni pœnâ, imò ipsâ morte gravius eſt malum.

Subvenite mihi ſancti Martyres Joannes & Paule! orate pro me, ut ſemper ſim & perſeverem in proſperis & adverſis, ſervus bonus & fidelis, Domini mei JESU Chriſti. Et Tu cumprimis -- O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! Vóſque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præſertim hodierni, & diei mortis meæ, & Vos ô beatæ in cœlis animæ, quondam &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, hodie coram JESU crucifixo, humillimæ ſervitutis meæ obſequium renovabo.

Non eſt tam atrox adverſitas, nec calamitas tam moleſta, quæ hâc crucis meditatione non miteſcat & ſuperetur. *Pacciuch.*

Q. An etiam B. V. MARIA, vulnus lanceâ acceperit? ℟. Ita ſenſit S. Bonaventura dicens: *ibi Domina lanceatum eſt cor tuum.*

S. Ladislaus Rex Ungariæ, familiares ſibi habuit Angelos, qui etiam eidem in ſingulari certamine ſtrictis gladiis adſtitêre. Ex amore & cultu erga JESUM crucifixum, unicè illi in votis erat, terram illam ſanctam, quam Dominus noſter JESUS Chriſtus, doctrinâ, miraculis, vitâ, ſanguine, & glorioſâ morte crucis illuſtravit, manibus paganorum eripere: In ipſo autem ad hanc ſanctam expeditionem apparatu. Divinâ ſic diſponente Providentiâ, terram lacte & melle manantem, terram promiſſionis, patriam nempe cœleſtem eſt ingreſſus. *In vita.* Principis cura, prima ſit ſervire DEO, & DEUS providebit humanis.

S. Ladislae ora pro me, ut fideliter ſerviam Regi illi, cujus regni non erit finis. Et Tu cumprimis -- O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! Vóſque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, Examen hodie inſtituam, an non hactenus fuerim DEI ſervus nequam & infidelis.

Jam Chriſti Paſſio pro me, prout neceſſe fuerit, contra omnia militabit. Non erit, qui contra me militare audeat, ſi Chriſti ſtigmatibus fuero conſignatus. *S. Bonav.*

Q. Quomodo Chriſtus pependerit in cruce? ℟. Facie ad occaſum converſâ, à dextra habens ſeptentrionem, meridiem à ſiniſtra.

B. Elisabetha Raytensis ex tertio Ordine S. Francisci, tantis Seraphici ardoris ignibus exarsit, ut nullum pro dilecto JESU suo patiendi finem faceret, imò indies graviora ferendi, magis magísque desideraret. Ex repetitis flagellationibus corpus Elisabethæ, livore & plagis erat plenum. JEsus crucifixus eidem sanctissimorum suorum vulnerum stigmata impressit, ita ut ex vulnerato Ejusdem latere, sextis præsertim feriis copiosus sanguis scaturiret. *Marian. in Chron. Ord.* Si quæ DEUS infligat vulnera, cogita ab illo fieri, qui non potest velle, aut facere malè.

Precibus tuis succurre mihi B. Elisabetha, mihique impetra, ut pro JEsu meo plura semper, & plura pati desiderem. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, hodie omnes illos sanctos peculiariter colam, qui amore & desiderio crucis excelluêre.

Quid rei illud est, quæ tua pusillanimitas, & imbecillitas? Nondum vulneratus es, nondum crucifixus es, multa tibi desunt, ut ad ejus imitationem pervenias. S. *Basil.*

Q. Quale testamentum fecerit Christus? ℟. Pacem discipulis, inimicis veniam, militibus vestes, Sanctissimæ suæ Matri Joannem, Joanni DEiparam, animam Patri, corpus Josepho & Nicodemo, Paradisum dedit Latroni. *Paccinch.*

S. Petrus Apoſtolorum Princeps, ut JEſum crucifixum (quem & prædicando, & miracula patrando, ubique circumferebat) etiam moriendo fidelis imitaretur diſcipulus, deſtinatam ſibi mortem crucis excepit cum ſingulari mentis jubilo & ſpiritûs exultatione, id *unum tamen, ex humilitatis affectu deprecans, ne eo modo quo Chriſtus, ſed capite deorſum pendulo, ſublatis in altum pedibus cruci affigeretur. Paſſionem ſiquidem non timuit, ſed æqualitatem crucis Dominicæ declinavit, ut oſtenderet univerſis, admirandæ ſe humilitatis virtutem, novique myſterii diſciplinam, etiam inter crucis tormenta ſervâſſe.* S. *Maxim. ſerm.* *1. de Natali Apoſt.* Charus Chriſti diſcipulus, petra ſit, oportet.

S. Petre, qui JEſum Chriſtum gloriosâ morte in ligno tuæ crucis clarificâſti, fac, nos quoque JEſu Chriſti imitatione conſtanter proficere, & Apoſtolicâ tuâ intercesſione gaudere. Et Tu cumprimis--- O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JEſu, Regina Martyrum, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, in eliciendis actibus fidei me hodie ſæpius exercebo.

Abſit, ut à doloribus meis liberari petam! patiar libenter pro eo, qui pro me libentiſſimè, incomparabiliter majores paſſus eſt dolores. *Labat.*

Q. Quale fuerit quartum verbum Chriſti in cruce? ℟. Eli, Eli Lama Sabathani.

S. Paulus Apostolus omnium ferè aliorum oblitus, nihil cogitare, nihil scire volebat nisi JESUM crucifixum; nec gloriari volebat, in ulla re alia, nisi in cruce Domini sui JESU Christi. JESUM crucifixum & calamus Pauli scribebat, & lingua loquebatur, & totum pectus ardentissimo affectu plenum, spirabat, ita ut Apostolus Christi cruci confixus, non ampliùs vivere, sed in Apostolo suo, solus vivere videretur JESUS crucifixus. Imò & resectum à cervice caput, ingenti miraculo *JESU, JESU, JESU* nomen articulatè expressit, quod nobis in Epistolis suis ducentis, & novendecim vicibus scriptum reliquit. *Lyr.* Ex lapsu reddamur cautiores, surgamus fortiores.

Egregie gentium Doctor Paule S. Apostole pro me supplex deprecare JESUM Christum, ut sicut JESUS fuit mihi vitæ & salutis principium, ita mihi JESUS sit præcipuum in morte mea, solatiorum omnium complementum. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum, MARIA, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, prima vox evigilantis, & ultima obdormientis erit mihi *JESUS.*

Si Christi Passionem patientiámque pensamus, patientiam discimus, & cum Apostolo in tribulationibus jucundamur. *Carthus.*

Q. Quid significent illa verba: DEUS meus, DEUS meus, ut quid dereliquisti me? ℟. Varii vario modo interpretantur.

B. Christina de vice comitibus, ex Ordine S. Augustini, sextis feriis solebat vinum bibere felle mixtum in memoriam sitientis in cruce Salvatoris. In contemplatione JESU crucifixi, eundem sic est affata; *O mi Sponse JESU Christe! quis mihi det de dolorum tuorum, quos pertulisti in cruce, Partem aliquam in hoc etiam corpusculo persentiscere?* Et ecce: clavum in proximo pariete fixum avellit, & valido ictu adigit in pedem Virgo sancta non tam imitanda, quàm admiranda. *Corn. Curt. in vita.* Etiam nunc multi bibunt vinum felle mixtum: sed Eheu! ex calice Babylonis, quod in novissimo mordebit ut coluber.

B. Christina, commenda me JESU crucifixo, ut sancto DEI timore configat carnes meas, & dirigat gressus meos in viam pacis. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, &c. *fol.* I.

Ad quod impetrandum, maturè hodie expendam: *Quis sit*, qui tanta patitur in cruce? Nimirum Rex gloriæ, supremus Dominus, Unigenitus DEI filius, DEUS-homo, JESUS Christus.

Etiamsi famuli mei barbam meam convellerent, & colaphos mihi impingerent, nihil esset hoc ad Dominum meum JESUM Christum, qui hæc, & his longè majora perpessus est. *S. Comes Elzear.*

Q. Quales voces sunt illæ: Eli, Eli Lama Sabathani? R. Primæ duæ voces sunt Hebraicæ, aliæ Syriacæ. *Epiphan.*

B. Virgo postquam S. Elisabetham cognatam suam, gravidam esse intellexerat, & humanitate & charitate impellente, abiit in montana cum festinatione, ut eandem inviseret; sæpius tamen, ut ipsa sanctissima Virgo hâc eadem die revelavit S. Brigittæ, post mortem & Ascensionem Christi, Calvariæ montem obiit, omniáque tormenta filii, velut in myrrhæ fasciculo cordi colligata circumtulit, totam JEsu Christi Passionem contemplando. *Cornel. in Cant.* & *Revel. S. Brig.* Arduis probatur virtus: Quæ si vera sit, non tantùm Thabor tibi placeat, sed etiam Calvariæ clivus.

O Sanctissima Virgo & Mater JESU Christi MARIA! Tu quoque visita me præsertim in lectulo mortali jacentem, & jamjam cum morte luctantem; Tunc assiste mihi ô clemens, ô pia, ô dulcis Virgo MARIA! Tunc monstra te esse Matrem. - - O piissima Virgo, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, considerabo: In quorum utilitatem tanta passus sit in cruce JEsus Christus? nimirum: propter nos miseros homines, & propter nostram salutem.

Quicunque desiderat aquas gratiarum, aquas lacrymarum: istas hauriat de fontibus Salvatoris, scilicet de vulneribus JEsu Christi. *S. Bon.*

Q. Quare in quarto suo verbo Christus in cruce, non uno sed diversis idiomatis est usus? ℟. Quia voluit omnibus gentibus & linguis, sui cognitionem communicare. *Pacc.*

B. Catharina à S. Magdalena, tantâ erga JESUM crucifixum devotione ferebatur, ut ex tenerrimo condolentis animi affectu, viribus omnibus exhausta, prope dolore contabesceret; Nec moderari sibi poterat, donec tandem profluviis lacrymarum, lumen amiserit oculorum. Obiit tandem sanctissimè. Anima ejusdem visa est cœlum petere in specie candidæ columbæ. *Dazal. l. 4.* Felix jactura! Beati, qui sic lugent.

O JESU infinitè amabilis! tu pendes pro me in cruce, & ubi tamen est amor meus? ubi est dolor meus? Per intercessionem B. Catharinæ da mihi, ut amem te ô JESU amantissime! Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, & diei mortis meæ, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, pensabo accuratè ***à quibus*** tanta passus sit Christus? nimirum à creaturis suis, à summis & infimis, ab illis, quibus beneficia maxima contulit, &c.

Exite, exite aquæ uberrimæ, & usque ad fundum excurrite, ut plangam affectuosis luctibus crucifixum. *Thom. Kemp.*

Q. Ad quæ verba Christi in cruce, maximè commota sit sanctissima Mater? ℟. Ad verba illa Christi exclamantis: DEUS, DEUS meus &c. ***S. Brigtt. ex Revel.***

S. Elisabeth Regis Ungariæ filia, cum aliquando in templi aditu JESUM crucifixum conspiceret, substitit attonita, fixísque oculis eundem contemplabatur: mox toto commota animo, in lacrymas & voces plenas pietatis effundebatur: *JESUS meus, Splendor paternæ gloriæ, mei amore ita est sauciatus, & deformatus: Et ego me blandè foveam & comam? Maximus cœli terræque Dominus, nudus ab hac pendet cruce; Et ego me purpurâ & auro induam?* Ex eo tempore vilioribus semper utebatur vestibus; imò sub his etiam asperum cilicium gestabat. *Sur.* Vana est pulchritudo, mulier timens Dominum ipsa laudabitur. Non vestis, sed virtus pretiosos nos facit DEO.

Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram JESU crucifixe! Da mihi per merita S. Elisabethæ, ut avertam oculos meos, ne videant vanitatem, econtra in te solum respiciam, qui pro me mori dignatus est in cruce. Et Tu cumprimis -- O piissima &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, cogitabo hodie *Quali loco* passus sit JESUS. Nimirum in infami Calvariæ monte, ubi fures & latrones supplicio afficiebantur.

O mi JESU, tu ille ipsissimus es, qui eò unicè spectâsti, ut vulneribus deturpareris. *B. Lanfranchin.*

Q. Quare Christus clamavit *voce magna: DEUS meus, DEUS meus?* ℟. Ut clamando ostenderet magnitudinem doloris sui.

B. Columba Tracazani Mediolanenſis, ex Ordine S. Dominici Virgo mirabilis, inſomnes diebus veneris noctes tranſegit, cruciatibus JESU Chriſti meditandis, quæ dum in agone ſitiens, ob memoriam pendentis in cruce Chriſti bibere recusâſſet, crucifixi imaginem ori admovit. *Tu inquiebat, tu ſitim meam extingue dulcis JESU!* atque una horâ in extaſi permanſit: Fonte illo haud dubiè potata, quem, ſi quis biberit, non ſitiet in æternum. *In vita.* Scilicet ô JESU, qui te bibunt, adhuc ſitiunt, deſiderare neſciunt, niſi JESUM, quem diligunt.

O Domine JESU Chriſte per merita B. Columbæ concede, propitius, ut ardenter & unicè te fontem aquarum viventium ſitiamus, diſſipatas mundi ciſternas & fæculentas, quas peccatum offert, lacunas faſtidiamus. Et Tu &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, meditabor, *qua die* mortuus fuerit Chriſtus: nimirum die Paſchali, ubi maximus erat populi confluxus.

O ſi tantus & tam magnus Dominus ex omni parte adverſitatibus prematur, ſi homo tam probatæ & integerrimæ famæ ita exagitetur, & tamen æquanimiter tolerat: an ergo mihi injurioſum videbitur, ſi aliquid adverſi me uſſerit. *Carthuſ.*

Q. Quare omnes ita obſtupuerint ad illum clamorem Chriſti in cruce: *DEUS meus, DEUS meus!* ℟. Quia homo jamjam moriens, non fractis verbis, ſed voce magnâ exclamavit. *Pacc.*

B. Maria à Maſſa, Ordinis S. Franciſci, complures horas, plenas ſuſpiriis, planctibus, & amoris affectibus coram crucifixo tranſegit. Virgo erat oratione continua, & Dominicæ Paſſionis memoriâ illuſtris; multis tandem precibus obtinuerat à Chriſto crucifixo, ut qualibet ſextâ feriâ aliquid tormenti pateretur in capite, quo paſſionis tempore Dominus excruciabatur. *Jacobill. in SS. Fulginat.* Chriſti *Vita* nobis ſit regula vivendi, *Paſſio* norma patiendi, *Mors* idea moriendi.

Domine JESU Chriſte Tu gaudium meum, delitiæ meæ, vera & unica conſolatio mea in ſæculum ſæculi! exaudi preces B. Mariæ, & da mihi gratiam, ut multa amore tui patiendo, ultimum tandem, ad quem ex bonitate tua creatus ſum, finem conſequar & ſalutem. Et Tu cumprimis -- O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! Vóſque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præſertim hodierni, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, conſiderabo hodie, quô tempore paſſus ſit JESUS crucifixus: nimirum circa tempus meridianum, ut clariùs ab omnibus ignominia percipi poſſet.

Quid magnum ſervo, ſi ea, quæ paſſus eſt Dominus, patiatur? *S. Baſil.*

Q. Quare Chriſtus *voce* adeò *magnâ* clamavit in cruce? ℟. Ne mundus fortaſſe crederet, quod Chriſti dolores valde fuerint tolerabiles.

S. Jacoponus ſæpiſſimè nudum in cruce, manibus, pedibúſque confixum, vulneribus plenum, è ligno pendentem & ex puro erga nos amore morientem JESUM contemplabatur, atque ſibi ferè ereptus, identidem exclamabat: *Amor non amatur! Amor non amatur. In vita.* Scilicet omnia, quæ videntur bona, amamus; ſolum JESUM, qui verè bonus & quidem infinitè bonus eſt, negligimus.

Intercede pro me S. Jacopone! & te intercedente, deſideria mea omnia, ita dirigat Dominus noſter JESUS Chriſtus, ut in carcere mortis hujus, mortali hoc in corpore detentus, toto corde meo nihil extra JESUM deſiderem, nihil extra JESUM concupiſcam. Et Tu cumprimis -- O piiſſima Virgo, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, expendam *cum quibus ſociis* paſſus ſit Chriſtus in cruce, nimirum, cum latronibus inter quos medius, tanquam eorum Dux & Anteſignanus.

Quò vadam miſera, & infelix, ut JESUM meum inveniam? Ah mi JESU! Te ſi invenero, quàm ero quieta & felix! Te quæro, te deſidero, ad te ſuſpiro, ad te anhelo, te invoco, & tota deficio ob tui amorem, quia te non video niſi in cruce. *Margar. Cort.*

Q. Quo motivo impulſus, paſſus ſit in cruce Chriſtus? ℞. Nimirum absque ullo ſuo proventu, præcisè ex puro amore erga genus humanum.

S. Elisabetha, Regina Portugalliæ, præter jejunia quadragesimæ, bis adhuc in anno quadragesimale jejunium sibi indixit: feriâ sextâ cujuslibet hebdomadæ, pane duntaxat & aquâ victitabat: omnibus erat omnium virtutum exemplar; à prima ætate usque ad vitæ terminum, præ omnibus illi in amore & pretio fuit JEsus crucifixus. Hinc etiam de mortuo regio conjuge, regnum mundi & omnem ornatum sæculi contempsit, propter amorem Domini sui JEsu Christi, quem amavit, in quem credidit, & speravit, quem toto cordis affectu dilexit. *In vita.* Discite magnæ animæ! Nec Purpura regia erubescit virtutem, nec à purpura abhorret virtus coronata.

Propitius esto Domine JEsu populo tuo, & da nobis per intercessionem S. Elisabethæ, post mortalis vitæ finem, ad cœlestia regna pervenire. Et Tu cumprimis -- O &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, rememorabo, quales dolores Christus fuerit expertus in cruce, dum clamavit *DEUS meus &c.* nimirùm dolores & afflictiones in corpore, in membris omnibus, in sensibus omnibus, in ipsa anima.

Nec optabile, nec jucundum magìs, quidquam accidere potest, quàm pro Christo proximíque salute mori. *S. Ign. ap. Nad.*

Q. Quid acerbos Christi in cruce dolores auxit? ℟. Cognitio illa, quâ cognovit, quàm gravia hominum delicta, quàm gravis ira DEI & justitia, & quàm pauci tamen, post toleratos tantos cruciatus salvandi.

B. Catharina Bononiensis hodiedum incorrupta, Crucifixum JESUM, dum orabat, sibi adstantem vidit, atque sic loquentem audivit: O *Filia! ecce sponsus adest: ut autem majorem imposterum à me gratiam recipias, nulla tibi dies elabatur, qua non animum ad Passionem meam convertas, & ad id faciendum etiam alios cohortare, si mihi rem gratam sibique utilem & jucundam facere velint. In vita.* Et tu nec desine unquam bona facere, nec desine alios bona docere.

O bone JESU sponse animæ meæ! quàm magna est multitudo dulcedinis tuæ, quam præparâsti diligentibus te, largire nobis quæsumus per merita S. Catharinæ Bononiensis, sanctissimam Passionem & mortem tuam jugiter meditari, & virtutes tuas tam agendo, quàm patiendo, ferventer imitari. Et Tu &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, devotè recolam, *quomodo* Christus mortuus sit in cruce; nimirùm totus nudus, in pauperie extrema nec habens ubi caput reclinet.

Non solùm Apostoli, sed electi omnes nunc in hoc mundo plorant, & flent amore dilecti super omnia JEsu Christi, &c. Sed electorum tristitia citò in gaudium convertitur. *S. Bon.*

Q. Quales dolores passus sit in cruce Christus, dum exclamavit: *DEUS meus, DEUS meus, &c.*

℟. Tales dolores & afflictiones sensit tunc Christus, quales ab orbe condito nullus alius est perpessus, ideò clamat, se à Patre delictum. *Carthus.*

S. Landrada, Perillustris Virgo, contra adversa omnia, tam ab hominibus, quàm à Dæmonibus inferenda, ab ipso Christo, rari artificii & valoris crucem, Cœlesti lumine præfulgentem in æternæ desponsationis pignus mediâ nocte accepit; Crucis hujus honoribus templum & altare exstruxit, se ipsam quoque devovit, ut ad mortem usque, nulli curæ domesticæ, sed soli Crucifixo JESU esset intenta. Demortuæ Virginis corpus ipsi Angeli eodem loco tumulârunt, in quo primùm crux illa Cœlitus data, fuerat collocata. *Sur.* O quantum distamus ab illa! cura tibi prima terrenorum & temporalium, cura salutis, cura DEI nulla, aut postrema.

precibus tuis effice S. Landrada Virgo, sponsa JESU Christi dilectissima, ut primum illud & unicè necessarium in animo semper sit, & in cogitatione, sic curare temporalia, ne tamen amittamus æterna. Et Tu &c. -- O *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, examinabo hodie, quâ de causa Christus ad crucem sit condemnatus: nimirum ex mera invidia, ex iniquissimis accusationibus, & criminationibus.

Eandem JESU Christi Passionem, ipse Dominus adeò profundè visceribus sanctarum animarum infixerat, ut illa esset Eis mel in ore, melos in aure, jubilus in corde. *Blos.*

Q. Quare Christus *circa horam nonam clamavit voce magnâ dicens: Eli, Eli?* ℟. Quia tunc jam erat morti proximus, adeóque dolor erat in summo.

B. Christophorus Patavinus magnæ Vir Sanctimoniæ, & singularis in Crucifixum Dominum pietatis, in extremo vitæ termino constitutus, crucem Domini arctissimè stringens JEsum crucifixum sic est allocutus: *Me trahe Christe precor, trahe me, curramus ut ambo: Quid tardas? trahe me, me trahe, Christe, trahe.* Et mox voti sui compos factus obdormivit in Domino. *Sand.* Sed quis nos trahit? an non trahit sua quemque voluptas?

Ora pro me, geme pro me, clama pro me B. Christophore! suspira pro me ad JEsum crucifixum, ut solvat me tandem aliquando à vinculis carnis meæ, liberet me à corpore mortis hujus, & trahat me post se bonus JEsus, in vinculis charitatis, quâ ab æterno dilexit me. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JEsu. Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, meditabor hodie in particulari, quomodo accusatus fuerit Christus, & sub quo prætextu crucifixus, nimirum ut seductor populi, ut Rebellis Cæsari, ut seditiosus, ut impostor, ut falsus Propheta, &c.

Quanta illorum paucitas! qui sanguinis JEsu pretio, ad suam salutem utuntur. *S. Ignat.*

Q. Quare derelictum se fatetur Christus? ℟. *Quia nulla tunc ei aderat redundantia consolationis, & alleviationis à superiori parte animæ Christi in inferiorem. Pacciuch.*

S. Joannes Gualbertus obvium in via habuit adversarium, cognato adhuc sanguine calentem. In iras igitur exarsit animus, sensítque stimulos, ut patratum facinus vindicaret. Hostem quidem stricto gladio aggreditur, verùm hic in genua provolutus rogat Gualbertum, ut ignoscat amore JESU Christi, pro inimicis suis in cruce deprecantis. Brevis, sed fortis eloquentia vicit, & exarmavit manum Gualberti. Sub hæc S. Miniatis templum ingreditur; & ecce ligneus crucifixus, capitis annutu gratias agit Gualberto, pro venia hosti suo indulta. *Melanes in vita.* Nunquam DEO gratior, nunquam tibi utilior victoria est, quàm dum vincis hostem, & parcendo, & benefaciendo.

Da nobis Domine JESU Christe per merita S. Joannis Gualberti, nostrorum veniam peccatorum, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, clementer averte. Et Tu cumprimis -- O piissima &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, cogitabo, quomodo Christi passio superet omnium aliorum Martyrum cruciatus.

Christianorum est in cruce magìs, quàm in quiete lætari. *S. Franc. Xav.*

Q. Quid ergò illud significat: *Ut quid dereliquisti me?* ℟. *Derelinquere*, hic nihil aliud significat, quàm quòd Pater cœlestis, qui poterat Christum eripere è manibus Judæorum, non eundem eripuerit à persecutorum rabie, sed permiserit, ut crudelissimè tractaretur. *Pac.*

S. Henricus cognomento Pius, Rom, Imp, primùm in omnibus Imperii negotiis adhibebat Consiliarium JESUM crucifixum: coram hoc prostratus, visus est sæpiùs ab Aulæ Ministris. Unicè desiderabat, ut gentibus omnibus Christi JESU Evangelium innotesceret. Quem in finem templa, monasteria ædificavit, reditibus auxit, servos DEI, viros Apostolicos, Cæsareâ authoritate & munificentia fovit, Episcopatus erexit. Tandem morti proximus, Coronam & Sceptrum, reliquáque Imperii insignia, ad Regis Regum crucifixi pedes deposuit; Sanctitate & miraculis clarus obiit. *In vita.* Etiam Cæsares moriuntur: & regni eorum tandem est finis. Neque tamen regna, sed opera eorum sequuntur eos in domum æternitatis.

Præsta nobis quæsumus Omnipotens DEUS, ut qui sancti tui Henrici annuâ festivitate lætamur, in tui nominis & sanctæ crucis amore roboremur. Et Tu cumprimis -- O &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, venerabor Christum JESUM, ut Regem Martyrum, & quidem: quia primus omnium passus est: *Scitote, quia me priorem vobis odio habuit.*

Dum illis servio, qui sunt servi Domini mei JESU Christi, censeo me ipsi Domino obsequium præstare. *S. Ignat.*

Q. Quare ergo adeò lamentabili voce clamavit Christus in cruce. *DEUS meus, &c.* ℞. Ad demonstrandum, se verum hominem esse, & verè se ut hominem pati, *S. Bern.*

S. Bonaventura ſemper in oratorio ſuo ſervabat Crucifixum. Quæſivit ex eodem D. Thomas Aquin. unde tantam hauriret copiam ſcientiæ. Illico vir ſanctus, intento in Crucifixum digito, *hic*, inquiebat, *eſt liber, imò omnis Bibliotheca mea, quam in omnibus dubiis meis conſulo, certiſſimáſque accipio dubiorum reſolutiones.* Quapropter etiam Bonaventura adeò dilectus erat JEſu crucifixo diſcipulus, ut dum effigies ejusdem, gemmæ inſculpta, exhiberetur ſpectanda, non jam ampliùs Bonaventuram exprimeret, ſed crucifixum. *In Vita.* O quàm parùm hic liber à nobis legitur: Quam parùm in dubiis cum JEſu crucifixo conſultatur.

Largire nobis quæſumus Domine JEſu Chriſte gratiam tuam, ut dum S. Bonaventuræ ſolennia celebramus, viro hoc Seraphico intercedente exſpectemus à te conſequi temporalia beneficia, & Bonaventuram imitando accipere mereamur æterna. Et Tu--&c. O *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, conſiderabo, quòd Chriſtus omnium Martyrum cruciatus ſuperaverit, & quidem ob *vilitatem, & indignitatem perſonarum*, à quibus paſſus eſt.

Mihi perſuadeo, crucis Chriſti JEſu amatores, vitam exercitam ærumnis, beatam cenſere, crucis autem fugam, mortis inſtar putare. *Xav.*

Q. An etiam ſancti Martyres omni conſolatione caruerint? ℟. Quod non: multi enim illorum, tempore Martyrii adeò erant perfuſi ſolatiis, ut vix perciperent exteriorem dolorem.

S. Raineldis Virgo, sanctorum parentum sancta filia, duarum sanctarum Sororum, unius sancti fratris sancta soror, in templo ante crucifixum extensis in crucem manibus humi provoluta, preces sæpiùs fundebat, atque eo ipso tempore, dum sic in terram prona, crucem Domini adorabat, lacrymis pedes crucifixi JEsu rigabat, repentè vivere desiit, non tamen amare JEsum crucifixum. *In vita.* Justus, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit: Væ impio! & horrendum nimis! si horâ, qua non putabit, inciderit in manus DEI viventis.

Ora pro nobis sancta Raineldis, nobísque divinam misericordiam exora, ut in omni vitæ sanctitate DEO semper serviamus; & à morte improvisa misericorditer liberemur. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, considerabo hodie Christum JEsum plura passum esse, quàm omnes Martyres & quidem ob dolorum acerbitatem juxta illud: *Attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus.*

Universum mel quod colligi potest ex floribus hujus mundi, tantam non habet dulcedinem, quantam habet Domini JEsu fel & acetum. *S. Ignat.*

Q. Quare adhuc ita se derelictum aut desolatum fatebatur Christus? ℟. Ut cordis sui angustias ob tot animarum jacturas, quas prævidebat, manifestaret.

B. Angelus de Paz Perpinianensis, ex Ordine Minorum, hic dum viveret, Dominicæ Passionis mysteria ita recogitabat, ut acerbissimos Christi Patientis sentiret dolores; ex quorum vehementia cor illius, prodigioso vulnere fuit sauciatum; quod latebat in vita, celari non poterat post mortem: aperto enim defuncti corpore, grande vulnus in ejus corde fuit inventum. Imò quia in sacrosancta quinque JESU Christi vulnera, maximo piæ mentis ardore ferebatur, manibus, pedibus, ac ipsi lateri eadem habuit impressa. *Seraph. Raz.* O quàm dulce & salutare est, tantorum meminisse dolorum!

B. Angele, commenda me JESU crucifixo, ut in corde meo semper vigeat memoria, & ardeat sincerus amor JESU crucifixi. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, venerabor hodie Christum, ut Regem Martyrum & virum dolorum ob *vulnerum multiplicitatem*, quia à *planta pedis usque ad verticem capitis non erat in eo sanitas.*

Præter omnia velim unumquemque vestrum cum zelo gloriæ DEI proximorúmque salutis, JESU Christi Salvatoris nostri puro & sincero amore lucere. *S. Ignat.*

Q. Quid discimus ex hac extrema Christi derelictione? ℟. Discimus in omni desolatione, derelictione, aut ariditate spiritûs, patientiam, & longanimitatem.

B. Joannes de Luca dum tribulatione premeretur, dicere solebat: *DEUS, DEUS meus, ut quid dereliquisti me? deinde se adhortans ajebat: Ne cadas animo Joannes, ne tristeris: nam si Pater æternus Filium suum Unigenitum dereliquit, agnellum illum innocentissimum & intemeratum: tu qui peccatorum sorditie turpissimus & plenus miseriâ, cum patientia illud portare debes, quidquid tibi DEUS immiserit. Et nonne hoc magni favoris locò reputandum est, quod DEUS te suo parem filio reddat, & æqualem?* Pacciu. *In vita.* Quocunque te vertas, crucem non effugies, ferenda tibi illa est, & hoc est necessarium: an cum Christo patiente, vel cum malo latrone, hoc tibi liberum est.

Succurre nobis precibus tuis B. Joannes de Luca, ut per passionem JESU Christi, & inter mundi hujus illecebras maneamus à peccato semper liberi, & inter adversa ab omni perturbatione securi. Et Tu cumprimis -- O &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, considerabo quòd Christus verè plus passus sit, quàm omnes S. Martyres, & quidem *ex vilitate supplicii*: juxta illud *morte turpissimâ* condemnemus illum.

℣. Crescente morbo confirmor spiritu: amarum omne mihi dulcescit, nec quidquam mihi sapit nisi JESUS & hic crucifixus. *S. Lydvv.*

Q. Quod fuerit 5. & 6. verbum Christi in cruce?
℟. Verba illa; *Sitio*: & *consummatum est.*

B. Paula Nobilissima Matrona Romana potens quondam divitiis, sed Christi imitatione insignior, eâ cordis teneritudine, eo affectûs ardore ante Crucifixi imaginem se sæpius prosternebat, quasi pendentem in cruce Dominum & sanguinis sui pretiosissimos rivos fundentem, coràm videret: In amplexu crucis, aliquando velut extatica hærebat: stulta pro Christo haberi non erubuit. *S. Hieron.* Quàm multi, Sanctorum vitam reputant insaniam: sed videbunt aliquando, quoniam computati sunt inter filios DEI, & inter sanctos sors illorum est.

Commenda me JEsu crucifixo, & mihi ab eodem impetra generositatem spiritûs, ut non horream pati, contemni, & pro JEsu meo etiam stultus haberi, qui amore mei, etiam stulto deterior, imò cum latronibus voluit deputari. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, denuò meditabor Christum JEsum esse Regem Martyrum: & quidem *ex causa mortis*: quia alii Martyres non ob aliorum delicta passi sunt, uti Christus.

Crucem in membris meis fero, crucem in incessu, crucem in pectore, in cruce tandem omnis gloria mea sita est. *S. Greg. Naz.*

Q. Quid significant hæc verba, consummatum est? ℞. Nil aliud, nisi quod omnia, quæ de Christo in scripturis prædicta erant, sint jam perfecta.

S. Petrus Damianus in sua ad Nicolaum Pontificem Epistolà ita scripsit. *Ah DEUS! quando horrida eremi deserta incolebam, quàm ardens mea erat devotio, quanta spiritûs mei dulcedo! Quàm ferventi prosequebar affectu Dominicam Passionem; In Calvariæ colliculo me præsentem arbitrabar; putabam ego in eodem loco, dulcissimum meum JESUM crucifixum contueri, credebam me patulo ore sanguinem illum sugere, quem manus & sanctissimi pedes stillabant; ardebam tunc, ùt ignis, & totus in lacrymas suavissimas dissolvebar. O utinam mihi in solitudinem meam redire liceat.* Pacciu. Scilicet sæpe numero verum est; quoties inter homines fui, minor redii.

Per intercessionem S. Petri Damiani, concede mihi propitius Domine DEUS, ut non alibi sit quies & solatium animæ meæ, nisi in sanctissimis vulneribus JEsu crucifixi. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, contemplabor hodie, quòd Christus *modo ineffabili* passus sit: patiebatur enim in omnibus, & in se, & in aliis: lapidatus est in Stephano, crucifixus in Petro.

DEUM amantibus tessera, ac typus crux est & pati: qui non est constans & fortis in multa patientia, dicere nequit, amare se DEUM; quia nullus hic amor est sine dolore. *Joan. Avila.*

Q. Quid ex his verbis discimus? R. Ut & nos usque ad finem in adversis perseveremus, & cursum nostrum bene cœptum consummemus.

B. Seraphina Virgo Romana non agere tantùm fortia, sed & pati pro sponso sanguinum difficillima quæque desiderabat: omni feriâ sextâ acetum bibere consueverat, ut aliquam saltem amaritudinis partem eo die sentiret, quo Dominus JESUS Christus passionis suæ calicem, & in eo amarissimum potum amantissimè degustavit. *Jacobill. de SS. Fulgin.* Potesne & tu bibere calicem Domini?

Tu ô Domine JESU Christe interveniente Beata Seraphina sis fortitudo mea, tu me indue virtute ex alto, ne fortasse ad amarum calicem, quem miscuit & paravit mihi Dominus, vel animo concidam, vel inter adversa aliquando penitus succumbam. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, hodie JESUM crucifixum velut omnium virtutum exemplar in monte Calvariæ propositum venerabor.

Domine JESU! ut quid à pactis inter nos conventis recedis: pepigi, nullum mihi mel aut dulcedinem dari, nisi fel tuum & acetum; nullas delitias nisi tua supplicia, nullum domicilium aliud quàm Calvariæ montem: nullam aliam vitam nisi in perfectissima conformitate cum tua morte. *S. Magd. Paz.*

Q. Quare Christus tantam sitim senserit in cruce?
℟. Quia per vulnera & effusionem sanguinis, & tormenta, sitis excitatur.

S. Justina crucifixo JESU cumprimis devota, graves à Cypriano Mago, ut eam seduceret, insidias patiebatur. Verùm hæc sancta Christi famula se ter signo S. Crucis signando, & præstigias Cypriani elusit, & ipsum Magum ad Christianam fidem convertit. Dæmon publicè fatebatur, se nihil contra Justinam potuisse, eò quod & Christiana esset, & cruce JESU Christi semper fuisset munita. *In vita.* Quàm facilè hostis vincitur, quàm facilè anima in tuto collocatur, si modo velis; sed hic labor, hoc opus est.

Defende nos, quæsumus Domine JESU Christe per signum sanctæ Crucis ab inimicis nostris, ut qui S. Justinæ gloriosa merita recolimus, eandem, piam apud te in nostra intercessione sentiamus. Et Tu cumprimis-- O &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, considerabo, quòd Christi passio omnium Martyrum cruciatus superaverit: & quidem ob *personæ dignitatem infinitam*, quia nimirum passus est Rex gloriæ, homo-DEUS, JESUS Christus.

JESUS Christus ad vulnera nostra descendit, ut usu quodam & copiâ suæ naturæ, comparticipes nos faciat Regni Cœlestis. *S. Ambr.*

Q. An Christus potuisset, si voluisset, dolorum illorum vehementiam lenire aut tollere? ℟. Dubium non est; quia semper aderat divinitas hypostaticè unita, aderat infractus animus, voluntaria obedientia, &c. voluit tamen sponte Salvator noster omnes illas pœnas tolerare sine ullius solatii admixtione. *Pacc.*

S. Maria Magdalena JEſu Chriſto ad mortem usque crucis, comes individua adhæſit: poſtquam ſe in eremum contulit, à Chriſto ſcire deſideravit, quodnam exercitium pietatis ipſi, & æterno patri gratiſſimum foret. Paulò poſt, Archangelum Michaëlem ſibi adſtantem vidit, qui elegantem crucem manu geſtavit, eámque ſpeluncæ illi (quam Diva incolebat) præfixit. Hanc deinceps in ſua Eremo, triginta, quibus ibidem vixit, annis retinuit. *Sylv. in Chriſtian. ſer. de S. Magd.* Quod bene cœpiſti, continua usque in finem: nôſti enim: naves etiam poſt emenſa maria, ſæpe mergi in portu.

Adeſto, quæſumus Domine, ſupplicationibus noſtris, & greſſus noſtros per interceſſionem S. Magdalenæ, dirige in ſemitis mandatorum tuorum, ut ſub umbra S. Crucis tibi usque ad mortem mundo corde, & caſto corpore ſervire valeamus. Et Tu cumprimis - - &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, hodie JEſum crucifixum velut peritiſſimum animæ meæ Medicum conſiderabo, eique ſincerè animæ meæ morbos exponam.

Si frequenter JEſum in cruce pro ſe pendentem aſpicerent, & titulum ejus conſiderarent mundi filiæ, non eſſent tot malæ Magdalenæ. *S. Thereſ.*

Q. An Chriſtus tantùm ſitiverit potum? ℞. Magis patiebatur ſitim patiendi ob Patris ſui æterni gloriam, & noſtram ſalutem. *Ex Revel. S. Brigit.*

B. Joanna Urbevetana ex tertio Ordine S. Dominici per novem annos in contemplatione JEſu crucifixi, ipsâ ſui corporis figurâ in formam crucifixi tranſiiſſe videbatur, ſæpius extendebatur tanto oſſium fragore, ut adſtantes hærerent attoniti, & omnium oſſium compagem diſſolvendam judicarent. Adhærebat verò pes unus alteri, inſtar Crucifixi, & quidem nexu adeò firmo, ut citius frangi poſſent, quàm à ſe invicem dimoveri. In hunc modum S. Virgo nonnunquam tota die manebat, quaſi cruci Chriſti confixa graviſſimos inter dolores. *Ita Seraph. Ratz.* Non poteſt unquam in anima adeò latere decor virtutis, quin velut per rimas in ipſum corpus erumpat.

Nil aliud per te peto ô B. Joanna, niſi hanc à DEO optimo gratiam, ut me, qui ad imaginem DEI creatus ſum, faciat mirabilis dextera DEI Excelſi, & efformet vivam imaginem JESU crucifixi. Et Tu cumprimis -- O *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, me JESU crucifixo velut Domino meo, ſiſtam ut ſervum fidelem & mancipium, emptum ab eodem & quidem pretio magno valde.

O vane! quid ſpeculum conſulis? mores tuos intuere, conſcientiam inſpice, in Chriſtum crucifixum oculos conjice: hoc tibi ſpeculum ſit: in hoc cruenta tubera & alta vulnera conſidera. *Tertul.*

Q. Quid milites Chriſto ſitienti obtulerint? ℟. Acetum: uti patet ex ſcriptura.

S. Christina Martyr. & Virgo, duodecimo ætatis anno, adeò Christo JESU crucifixo devota, ut ab ejus nomine voluerit Christina compellari, parentis jussu, ferreis ungulis ita dilaniata, ut cum sanguineis rivis etiam carnis frusta defluerent. Neque his territa sancta Martyr, sed potius animata, carnis suæ frusta, humo levavit, Patrique carnifici obtulit his verbis: Accipe crudelis Tyranne sanguinem tuum, vescere carnibus, quas genuisti. Linguâ etiam excisâ JESUM Christum laudare non cessavit, donec telis confixa glorioso Martyrio vitæ suæ cursum consummârit. *V. Beda.* Quid hominem times, qui hodie est, & cras non comparet?

Pugnandum mihi est Domine JESU Christe, & quidem inter mille animæ pericula, inter mille peccatorum irritamenta: Respice Domine preces & merita S. Christinæ Virginis & Martyris tuæ, salva nos, aliàs perire est necesse. Et Tu cumprimis - - O piissima &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, hodie JESUM crucifixum ut *bonum Pastorem* venerabor, qui posuit animam suam pro ovibus suis.

Sitis mea, salus vestra, sitis mea, redemptio vestra: sitio sitim vestram, salutem vestram, gaudium vestrum: plus animarum vestrarum quàm carnis meæ cruciatus me tenet. *S. Aug.*

Q. Quomodo milites Christo pendenti in cruce obtulerint acetum? ℟. Per spongiam arundini impositam.

S. Jacobus Major, S. Joannis Evangeliſtæ Frater natu major, & Chriſti ſecundùm carnem cognatus, calicem ſe bibere poſſe, quem Magiſter JESUS bibiturus erat, animosè interroganti Domino reſpondit Nec verbis facta diſcrepabant. Poſtquam enim S. hic Apoſtolus & in Hiſpaniâ, & Hieroſolymis, & in finitimis oris JESUM crucifixum verum, DEI Filium prædicáſſet, primus ex Apoſtolico Senatu, & quidem in eodem loco, ubi Chriſtus pro nobis redimendis occubuerat, JESU Chriſti doctrinam à ſe prædicatam ſuo ſanguine obſignavit. *Richard.* Vita & ſanguis optimè collocatur, ſi in JESU Chriſti gloriam impendatur.

Supplicationes noſtras exaudi Domine JESU Chriſte, ut S. Apoſtoli tui Jacobi, præſidiis muniti, & pia converſatione tibi placeamus, & ſecurâ mente ſerviamus. Et Tu cumprimis--O piiſſima Virgo, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, contemplabor JESUM crucifixum, velut ſupremum Advocatum peccatorum, illíque me tanquam reum mortis æternæ commendabo.

Quod Chriſtus Samaritanæ dixerat: Mulier, da mihi bibere, hoc in cruce omnibus ait: Sitio: Sitis hæc de ardore dilectionis, de amoris fonte, de latitudine naſcitur charitatis. *Laur. Juſtin.*

Q. Quid voluit Chriſtus inſinuare per illa verba. *DEUS, DEUS &c.* & *Sitio* ℟. Voluit inſinuare vehementiam dolorum.

B. Anna Mater Matris JEſu Chriſti, multùm cum ſancto ſuo conjuge Joachimo erat anxia, quòd jam vigeſimum in conjugio annum prorſus ſterilis numeraret. Poſt multas preces Angelus è Cœlo miſſus nuntiavit, quod paritura eſſet filiam, quæ MARIÆ Nomine inſignienda, eſſet deſtinata Mater JEſu Chriſti Filii DEI altiſſimi, futuri Salvatoris mundi. Quod verò eidem præter alia arcana cœleſtia, etiam revelata ſit tota ſeries redemptionis noſtræ in cruce conſummandæ, concludere facilè licet ex eo, quòd Anna fuerit Mater tantæ filiæ, & Avia JEſu Chriſti. *Ribad.* Sic nempe benedicetur generatio illorum, qui juſti & recti ſunt corde.

Precibus noſtris quæſumus Domine JEſu Chriſte placatus intende, ut per interceſſionem Beatæ Annæ, quæ ſanctiſſimæ Genitricis tuæ Mater extitit, in ſanctæ tuæ crucis amore & veneratione ad noſtram proficiamus ſalutem. Et Tu cumprimis - - O &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, velut *docentem* è cathedra crucis, *Magiſtrum*, JEſum crucifixum conſiderabo, eique me docilem diſcipulum ſiſtam.

Potemus JEſum pœnitentiæ lacrymis, ut dicat de nobis: ſitivi & dediſtis mihi potum. *Orig.*

Q. Ubi ſpongia illa aſſervetur, per quam Chriſto propinatum fuit acetum? ℟. Fuit in partes diviſa, & tum Romæ, tum etiam Pariſiis aſſervatur.

B. Joannes de S. Maria, ex Ordine S. Francisci de Paula, eximiè devotus erat JEsu Christo patienti. Hunc ille meditabatur assiduè, atque in suo Oratorio jugiter venerabatur; Ad similem amorem & venerationem etiam alios invitabat. Interdum in meditatione Passionis Dominicæ lacrymis pœne diffluebat, vultúque toto non hominem, sed Seraphinum referebat. *Hist Ord.* Si non potes reddere sanguinem, saltem redde lacrymas JEsu crucifixo.

Domine JEsu Christe sanctum in nobis tui amorem confirma, ut qui cum B. Joanne te DEUM verum & Redemptorem nostrum confitemur, per salutiferæ Passionis tuæ memoriam ad æternam mereamur, pervenire lætitiam. Et Tu cumprimis--O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JEsu, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, hodie JEsum crucifixum, velut *viæ & vitæ hujus Ducem* venerabor, ejúsque Divinæ dispositioni & manuductioni me plenè relinquam.

Sitio, inquit, Christus, non, *doleo.* O Domine! quid sitis? Salutem vestram: & si non mei, saltem vestri misereminí. *S. Bern.*

Q. Quare Christus voluit in sua siti aceto potari? ℟. Ut etiam gustus haberet unde pateretur, atque ut peccatum per Protoparentes commissum, uti & nostræ gulæ vitia expiaret.

S. Maria de Incarnatione ex Familia S. Therefiæ, nunquam cubiculo pedem efferebat, quin fanctiffima JESU Chrifti crucifixi vulnera reverenti, & devotiffimo ofculo veneraretur. Optabat mori derelicta ab omnibus & omni prorfus folatio deftituta ad imitationem JEfu crucifixi; Præterea ftigmata JESU crucifixi in corpore fuo circumferebat: Diebus Veneris præfertim & Sabbati per quadragefimam, extremos dolores in pedibus, manibus, & latere fentiebat, ut fæpius jamjam morti proxima videretur. *Duvall & Petr. Coton.* Etiam vulnera, quæ DEUS facit, funt pretiofa.

Efto mecum Domine JESU Chrifte per gratiam tuam adjutor & protector meus, & interveniente B. MARIA, in tempore tribulationis ne derelinquas me, ne fortaffe veniam in altitudinem maris, & tempeftas demergat me. Et Tu cumprimis - - O &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, in omni defolatione, afflictione, aut ariditate recurram ad JESUM crucifixum, velut ad fontem falutis, non aliter quàm cervus ad fontes aquarum.

O Domine JESU! coronam fuftines: de tua cruce & vulneribus taces: & pro fola fiti clamas: dicens: *Sitio*: Quid ergo fitis? certè folam redemptionem hominis & gaudium humanæ falutis. *S. Bern.*

Q. Quid fuerit feptimum adeóque poftremum Chrifti verbum in cruce? ℟. Pater, in manus tuas commendo fpiritum meum.

S. Martha JESU Christi hospita, morti proxima Angelos suavissimè concinentes audivit, Christus verò eidem comparuit, & ad meliorem vitam his verbis invitavit: *Veni hospita meâ dulcissima, quemadmodum tu quondam tuâ me domo excepisti, sic ego te recipiam in domum meam Cœlestem.* Et mox illa in pavimentum cineribus conspersum deponi expetiit, manúque crucem Domini accepit, & ea, quæ de supremis Christi in cruce morientis cruciatibus scripta erant, prælegi sibi voluit. Dumque ea verba legerentur: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, sanctissimè & placidissimè expiravit. *Ribad.* Ibimus & nos; sed utinam! in domum Domini.

O bone JESU! qui prope es omnibus invocantibus nomen tuum, exaudi preces nostras, & per intercessionem B. Marthæ, cujus castellum olim intrare dignatus es, nos quoque recipe in æterna tua tabernacula. Et Tu &c.

Ad quod impetrandum, sæpiùs quasi sedens in tenebris, & in umbra mortis, ad JESUM crucifixum (qui est *lux mundi*) pia mittam suspiria: *Mane nobiscum Domine, quoniam advesperavit.*

O mira circa nos tuæ pietatis dignatio! O inæstimabilis dilectio charitatis! ut servum redimeres, filium tradidisti. *Eccl.*

Q. Cur Christus voce magnâ clamans exspiravit? ℟. Ut ostenderet se sponte è vita decedere, cùm alii homines maximo languore soleant exspirare.

B. Margareta de Arbuze, sæpius ante JEſum crucifixum humillimè proſtrata videbatur: profunda tamen ejusdem humilitas non aliud admittebat, niſi ut SS. pedum vulnera exoſcularetur: dicebat ſiquidem: *Vulneribus aliis Domini mei JESU Chriſti oſculum devotum imprimere, ſoli licet ſponſæ divinæ, mihi autem utpote miſerrimæ peccatrici, ſola pedum vulnera oſculari eſt conceſſum. In vita.* Humilitas fundamentum eſt omnis virtutis, ſine hoc quidquid ædificatur, ruinæ præparatur.

Intercede pro me B. Margareta, doce me JEſum Chriſtum crucifixum ferventer amare, & in ejus amore, cum profunda cordis humilitate perſeverare. Et Tu cumprimis - - O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! Vóſque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, conſiderabo, in qualibus adhuc circumſtantiis paſſus ſit Chriſtus, nimirum inter ſannas & opprobria, inter Principum & Sacerdotum exſibilationes, ab omnibus omnino derelictus, &c.

Non reputare ſe debet Chriſti amicum, qui animas non fovet, quas ille fuſo ſanguine redemit. *S. Ignat.*

Q. Quomodo Chriſtus inclinavit caput? ℟. Caput unà cum cervice in dextrum latus inclinavit.

S. Ignatius de Loyola S. J. Fundator, Manresæ, ubi ultra quadragesies ei Christus & B. Virgo comparuit ante marmoream Crucifixi effigiem, primam spiritualis ædificii formam, & prima Ordinis sui designavit fundamenta. Optabat institui sui sectatores esse mundo crucifixos; Id docuit verbo & exemplo. Acerbissima Christi mors cùm Ignatio semper obversaretur, vicissim ille pro Christo per summos cruciatus quotidie cupiebat millies mori. Præter B. M. V. iconem solebat in pectore palmarem Christi crucifixi effigiem circumferre. In pervigilio Festi S. Ignatii, visus est crucifixus ille marmoreus hâc eâdem die ex latere manibus & capite spinis redimito sanguinem profundere. *In vita.* Ecce quomodo JEsus amabat eum.

O Amor crucifixe! O JEsu Fili DEI vivi! per merita S. Ignatii, mentes nostras claritatis tuæ luce illumina, & charitatis tuæ igne inflamma, ut te DEum nostrum agnoscamus, & ardenti charitate diligamus. Et Tu &c. -- O *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, in omni tepore ac animi frigore aut languore recurram ad JEsum crucifixum, velut ad *Ignem semper ardentem*, & nunquam deficientem.

Nullum lignum aptius est excitando foco amoris DEI, quàm lignum sanctæ crucis. *S. Ign.*

Q. Quare Christus caput inclinavit? ℟. In signum obedientiæ, & submissionis erga Patrem. *S. Bern.*

S. Petrus Apoſtolorum Princeps, in vinculis detinebatur in Mamertino: Inſtabant Chriſtiani, ut fugam capeſſeret; Et tandem id etiam importunis precibus obtinuerunt. Verùm extra portam, quæ nunc S. Sebaſtiani dicitur, fugienti Apoſtolo occurrit Chriſtus. Rogatus à Petro: *Domine, quo vadis?* repoſuit: *Vado Romam iterùm crucifigi.* His auditis, ut in diſcipulo denuò Magiſter crucifigeretur, Petrus Romam rediit & paulò pòſt, amore JESU Chriſti, cruci eſt affixus: & ùt teſtatur Auguſtinus, Reges maximi vincula venerantur & limina Petri crucifixi, & ad *memoriam Piſcatoris flectuntur genua Imperatoris. Baron.* Mors, vincula, egeſtas ſæpè ſunt DEI nos amantis bona. Nihil ſub ſole malum niſi peccatum.

Domine JESU Chriſte! interveniente B. Petro Apoſtolo tuo, noſtrorum quæſumus abſolve vincula peccatorum. Et Tu &c. - - O *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, dicam cum S. Auguſtino: *Salve tremendum cunctis poteſtatibus caput Domini JESU Chriſti Salvatoris noſtri pro nobis ſpinis coronatum, & arundine percuſſum:* in fine addam *Pater* & *Ave, &c.*

Amator crucis exultare debet, dum ejus myſteria animo volvit, ac de redemptione humana, reſtauratione Angelica, & Divina clementia meditatur. S. *Bonav.*

Q. Quare adhuc Chriſtus inclinavit caput? ℟. Ut amicis ſuis, cùm manu non poſſet, extremam ſaltem daret benedictionem.

S. Franciſcus Seraphicus, dum prope templum B. V. MARIÆ de Portiuncula, Paſſionem & mortem Domini meditaretur, in lacrymas ſolvebatur, & ſuſpiria: A quodam interrogatus, quidnam adeò doleret & ploraret Franciſcus: an fortaſſe Parentis ſui aut fratris obitum? repoſuit vir ſanctus: *Immenſa tormenta, & crudeliſſimam mortem fleo mei JESU crucifixi: hic meus eſt frater chariſſimus, benevolentiſſimus Pater, intimus amicus, illum fleo, & non alium. In vita.* Væ vobis, qui JESUM de novo crucifigitis, & tamen ridetis: riſus fletu miſcebitur, & extrema gaudii occupabit luctus.

S. Franciſce, fac me verè tecum flere, crucifixo condolere, donec ego vixero; præ omnibus mundi deliciis, JESU meo compati deſidero. Et Tu cumprimis -- O piiſſima Virgo, amaritudine, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, dicam cum Auguſtino: *Salve ſpecioſiſſima Salvatoris noſtri facies pro nobis ſputis fœdata, & alapis cæſa.* Addam in fine *Pater*, & *Ave &c.*

Si omnia mala, injurias & verbera cum gaudio toleramus, conſiderantes quod pœnas JESU Chriſti benedicti tolerare debeamus, ſcribe & nota diligenter, quia ibi eſt vera lætitia. *S. Franc.*

Q. Quare Chriſtus inclinavit caput, pectus versùs? ℟. Ut nos ſupremum quaſi oſcularetur, quos in pectore circumferebat. *S. Aug.*

B. Paulus de Paterno ex Ordine Minimorum adeò impressam sibi habebat Crucifixi memoriam, ut quidquid ageret, cruce signaret. Quadam vice amygdalum plantabat, addito juxta morem suum crucis signo; Et ecce hæc arbor singulis annis initio veris, tota crucibus signata apparebat, quin etiam singuli fructus crucem habebant impressam. *In vita.* Qualis arbor, talis fructus.

Domine JEsu Christe ad preces B. Pauli, aures tuæ pietatis inclina, & sicut nobis per sanctam crucem tuam nostræ salutis es author, ita & immortalitatis sis ipse largitor. Et Tu eumprimis - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JEsu, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, & diei mortis meæ, & Vos, ô beatæ in cœlis animæ, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, dicam coram crucifixo: *Salvete benignissimi Salvatoris Domini nostri JESU Christi oculi pro nobis lacrymis perfusi*: in finem addam *Pater* & *Ave*, *&c.*

Nobis manus suas expandit JEsus, ut totum mundum obumbraret. Quomodo non sumus in umbra, quos JEsus crucifixus à malignitate sæculi, & corporis ardore defendit. *S. Ambros.*

Q. Cui Christus tradiderit spiritum? R. Patri cœlesti, à quo acceperat illum.

S. Dominicus, charissimus filius MARIÆ, per ejusdem B. Virginis merita, rogavit DEUM & impetravit, ut conformis omnino fieret JESU crucifixo. Ab innumeris igitur dæmonibus comprehensus, ligatus, flagellatus & clavis prægrandibus cruci affixus, & lanceâ confossus, omnes patientis Domini sensit cruciatus, dolore adeò incredibili, ut omnino ex nimia dolorum vehementia exspirâsset, nisi per JESUM Christum & per sanctissimam Virginem denuò sibi fuisset restitutus. *P. Lud. Laumans.* Renuit à DEO amari, qui horret vulnerari.

Concede nobis Domine JEsu Christe per intercessionem S. Dominici, temporalibus nunquam destitui auxiliis, & spiritualibus semper proficere incrementis. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe; Vósque omnes Sancti, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, coram Crucifixo prostratus, dicam: *Salve melliflum Os guttúrque suavissimum Domini nostri JESU Christi pro nobis felle & aceto potatum!* addam in fine *Pater, & Ave.*

Ergone pœna est pati pro dilecto JEsu? Non, Non est pœna, sed vera voluptas. *V. Cath. à JESU.*

Q. Quale miraculum in morte Christi contigerit? ℟. Petræ scissæ sunt.

B. Henricus Suſo, ut aliquod in ſuo corpore ſenſibile erga crucifixum compaſſionis ſignum conſtanter circumferret, eam partem carnis, quâ cor tegitur, ſcalpello aperuit, & tam altè illi Nomen JEſu incîdit, ut non ſolùm litteræ Nominis JEſu, ad quemlibet motum cordis moverentur, ſed etiam eam magnitudinem, quæ auricularis digiti craſſitiem æquabat, retinerent. *Pacciuch.* Diſce hinc amare, quod verè amandum eſt.

O cor ſedes amoris, accendaris tandem hodie ſanctiſſimo B. Henrici exemplo, & inceſſabiliter ama Dominum tuum JEſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Et Tu cumprimis -- O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JEſu, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! Vóſque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præſertim hodierni, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, ſalutabo hodie cor JEſu crucifixi: dicámque: *Salve ſanctiſſimum cor Domini mei JESU Chriſti plenum miſericordiâ, plenum amore & dolore.* In fine addam. *Pater & Ave.*

Crede mihi, quia ſtatim Patientis Domini intuitu, omne triſte lætum, omne grave leve, omne tædioſum amabile, omne aſperum dulce & ſuave reperies. *S. Bonav.*

Q. An hodiedum videatur in monte Calvariæ hæc ſciſſura in petra? ℟. Quod ita: Teſtatur id S. Lucianus, patétque omnium oculis.

VI. AU-

ASsumpsit hodie JESUS Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & duxit eos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos, ita quidem, ut Petrus lætitiâ perfusus exclamârit: *Domine bonum est nos hic esse: faciamus hìc tria tabernacula, &c.* Hanc Domini JESU Christi transfigurationem, & Petri verba expendens S. Bonaventura, coram crucifixo JEsu in hæc verba erupit. *Faciamus hìc tria tabernacula, unum in pedibus, unum in manibus, aliud continuum in latere: ibi volo quiescere & vigilare, bibere, & comedere, legere & orare, & omnia negotia pertractare. Ibi loquar ad cor ejus, & ab ipso, quod voluero, impetrabo. S. Bonav.* Hìc & non alibi, etiam cordis mei requies sit.

Domine JEsu Christe! qui hodie mirabiliter & gloriosè transfiguratus es, tu concede propitius, ut & gloriæ tuæ nos aliquando cohæredes efficias & consortes. Et Tu -- O &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, dicam cum Augustino: *Salvete aures nobilissimæ Domini JESU Christi, Salvatoris nostri, pro nobis contumeliis & opprobriis affectæ.* In fine addam. *Pater & Ave.*

Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc propter angustias Passionis Christi, cibi mei sunt, quoniam dulcia & delectabilia facta sunt mih. *S. Bonav.*

Q. Quanta sit latitudo hujus scissuræ in monte Calvariæ? ℟. Est tanta, ut hominem capere possit.

S. Cajetanus divini amoris æſtu ſuccenſus, ſe totum DEO, relictâ aulâ mancipavit. Ubberrimas inter lacrymas, ſæpiſſimè octo etiam horis, coram crucifixo JEſu provolutus, orationem continuabat. Ex aſſidua JEſu pro noſtra ſalute Crucifixi contemplatione impulſus, in proximorum ſalutem unicè incumbebat, dictus propterea *Venator animarum*. Corpus ſuum, integras etiam noctes ſeveris flagellationibus affligebat, neque aliter niſi in cinere, & cilicio mori voluit, memor Salvatoris, mortui in cruce. *In vita.* Felix commutatio! Quàm glorioſum ſervire DEO, qui ſolus eſt Dominus & Rex gloriæ.

Ora pro nobis S. Cajetane, ut à te diſcamus & propriam, & aliarum animarum ſalutem ferventer procurare, & ſola cœleſtia deſiderare. Et Tu cumprimis - - O &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, proſequar inchoatam hoc menſe devotionem erga Crucifixum: Dicámque hodie: *Salve collum humile JESU Chriſti & dorſum ſanctiſſimum pro nobis cæſum & flagellatum.* In fine. *Pater, & Ave.*

Ubi eſt major materia gaudii & exultationis, quàm circa Chriſti Paſſionem? quâ poteſtate diaboli liberamur, à culpa & pœna abſolvimur, in DEI filios adoptamur, &c. *S. Bonav.*

Q. Quanta profunditas ſit illius ſciſſæ petræ in monte Calvariæ? ℟. Solidè non poteſt illa profunditas deprehendi: veroſimile tamen eſt usque ad inferos pertingere. *Adrichom.*

B. Cunegundis Virgo Veromandienſis ſingulis feriis ſextis totam diem meditationi Paſſionis Dominicæ impendebat; imminente morte, ex cilicio ac cinere erexit caput ad JEſum cruci affixum, eúmque piiſſimo affectu ſic eſt allocuta: *En adſum, Chriſte JEſu, Ancilla tua! Veni, obſecro Rex piiſſime! & me benignè ſuſcipe.* His dictis, totum cubile cœleſti lumine, & ſuaviſſimo odore perfuſum reliquit ſancta illa anima jamjam in cœlum abitura. *In vita.* Diſcamus à ſanctis ſanctè vivere, ſi optamus cum ſanctis ſanctè mori.

O ſancta Chriſti JEſu Ancilla, ſancta Cunegundis! commenda me Domino tuo JEſu crucifixo, ut bonis fidelibus ſervis ſuis adnumerare me velit & viventem & morientem. Et Tu cumprimis -- O piisſima Virgo, amaritudine & doloribus plena, Mater JEſu, Regina Martyrum, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, ſalutabo hodie ſanctiſſimas manus Chriſti crucifixi, dicámque: *Salvete venerabiles manus Domini noſtri JESU Chriſti pro nobis, in cruce clavis confixæ.* In fine addam. *Pater & Ave.*

Jam ſanguis tuus Domine non quærit ultionem, ſanguis tuus lavat crimina, peccata condonat. *S. Cypr.*

Q. An tantùm Hieroſolymis petræ ſciſſæ ſint? Vetus traditio eſt, quod etiam in monte Alverniæ in Hetruria, item in monte Serrato, &c. petræ illo tempore ſciſſæ fuerint.

B. Ferdinandus Caſtellæ & Legionis Rex ſanctiſſimus, ſicut magnanimitate, clementiâ, juſtitiâ, ita Catholicæ Fidei propagandæ zelo, & tenerrimo erga JEſum crucifixum amore eminebat. Jamjam moriturus, crucifixum JEſum ita eſt affatus: *Tua eſt poteſtas omnis, ô Domine JESU! Tuum eſt regnum, cui hactenus præfui; Tu es Rex Regum ſupra omnes Reges terræ. Regnum, quod à te accepi, rexi hactenus, quamdiu nempe Tuæ placuit voluntati; Ecce: nunc illud tibi reddo. Tantùm animam meam ut ad Te ſuſcipias rogo: In manus tuas, O Domine, commendo ſpiritum meum.* His dictis obdormivit in Domino. *In vita.* DEI nempe ſunt regna & coronæ. Principes in terris, DEI ſunt miniſtri; nec aliter regnis præeſſe debent, nec diutius poſſunt, quàm DEUS velit.

Concede nobis quæſumus Domine JEſu Chriſte, ut B. Ferdinandi Regis interceſſione muniti, pervenire mereamur ad te Regem omnium ſæculorum. Et Tu - - O &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, profundè crucifixum adorans, dicam: *Salvete ſanctiſſima brachia D. N. J. C. pro nobis in cruce extenſa.* Addam *Pater & Ave, &c.*

Qui pro peccatis noſtris digni eramus inundatione omnis pœnæ, liberati ſumus merito paſſionis Chriſti. *S. Bonav.*

Q. Quæ adhuc miracula facta ſint moriente Chriſto? ℟. Etiam monumenta erant aperta.

X. AU-

S. Laurentius Martyr, medios inter ignes ad JEsum conversus ajebat: Domine JEsu Christe DEUS de DEO, miserere mihi servo tuo: quia accusatus non te negavi: interrogatus, te Dominum JEsum Christum confessus sum. Dein impavidè Tyranno insultans: *Ego*, ajebat, *in nomine Domini nostri JESU Christi non reformido tormenta tua. Fac, quod facis, noli cessare. Assatum est: versa manduca. In vita.* Crede in JEsum, spera in JEsum, ama JEsum: Illo invito, nemo tibi obesse potest, nemo prodesse.

Da nobis quæsumus Omnipotens DEUS vitiorum nostrorum flammas extinguere, qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, coram Crucifixo prostratus dicam: *Salve pretiosissime sanguis Domini nostri JESU Christi è sacratissimis manibus effuse.* Subjungam *Pater & Ave, &c.*

Quotidie hanc lectionem (nempe Passionem Dominicam) discite filiæ: quotidie hujus lectionis sumite bolum, hunc non transglutiendo, sed magnâ morositate masticando hinc inde transferte per ora, ut sentire dulcedinem valeatis. *S. Hieron.*

Q. Quare monumenta aperta sint? ℟. Ut mortui excipiant vitam, quam moriens D. N. J. C. in eos transfudit.

S. Macrina, Soror S. Gregorii Nysseni, morti proxima, crucifixi Domini simulacrum expetiit: In quod, postquam diu oculos defixerat, in hæc tandem verba erupit: Æterne DEUS, cui addicta sum ex utero Matris meæ, quem ex totis visceribus dilexit animus meus, Tu ad hostis perniciem & vitæ nostræ securitatem dedisti nobis signum S. Crucis. Tu mihi mitte Angelum lucis, qui me ducat ad locum refrigerii. Tu qui tecum crucifixum, salvâsti latronem, memento etiam mei in regno tuo, siquidem & ego crucifixa sum tecum, configens in timore tuo carnes meas. Dixit, & oculis, ori & cordi, crucis signum impressit, & pientissima inter suspiria, orationem & vitam finivit. *S. Greg.* An non & tu cum crucifixo JEsu mori cupis?

Clementissime DEUS! da nobis quæsumus intercedente S. Macrina, ut in ore & corde nostro semper versetur JESUS crucifixus. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, &c. *fol.* I.

Ad quod impetrandum, hodie iterum adorans Crucifixum, dicam pio cum affectu: *Salve pectus mitissimum Domini JESU Christi Salvatôris nostri pro nobis in Passione conturbatum.* Addam *Pater & Ave, &c.*

Si vidisses animæ per sanguinem Christi ablutæ pulchritudinem, non dubito, quin pro illius salute mortem centies oppeteres. *S. Cathar. Sen.*

Q. Quid adhuc factum moriente Christo? ℟. Prodiêre mortui è sepulchris.

S. Clara, quæ Lux clarissima & Mater fuit tot & tantarum filiarum Ordinis S. Francisci, adhuc dum in materno utero lateret, ab ipso JEsu crucifixo, S. Matri Hortulanæ his verbis prædicta est: *Ne timeas mulier. Salva paries lumen magnum, quod ipsum mundum clarius illustrabit.* Hinc etiam *Clara* nomen eidem in baptismo obtigit: Sub S. Francisci sanctissima directione, Virgo innocentissima in sancto humilitatis, obedientiæ, paupertatis, orationis, & mortificationis studio, & præsertim in Seraphico erga JEsum crucifixum amore ita profecit, ut JEsu Christi imitandi desiderio impulsa, carnem suam continuò crucifigeret, & velut clarissimum Lumen orbem virtutibus ac vitæ sanctimoniâ illustraret. *In vita.* Conveniunt sæpè; sed etiam disconveniunt rebus nomina sæpè suis. Christiani nomen habes: sed an non tibi nomen inane? quod tamen est crimen immane.

Famulos tuos quæsumus Domine per B. Claræ intercessionem cœlestium facias gaudiorum participes, & JEsu Unigeniti tui filii cohæredes. Et Tu cumprimis -- O *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, adorabo iterum hodie JEsum crucifixum, his verbis: *Salve latus gloriosum Domini nostri JE.U Christi pro nobis lanceâ transfixum.* Addam *Pater, &c.*

Quomodo misericordiâ Domini plena est terra, nisi per Passionem D. N. J. C. *S. Bon.*

Q. Quis fructus ex his miraculis? ℟. Magnus animorum motus.

S. Amasius magnus ille Theanensium Episcopus, primores civitatis acciri jussit, eósque sic est allocutus: Senui & incanui filii mei! conversatus sum coram vobis, ab hora, quæ DEO placuit, usque in hanc diem; pro animabus vestris nequaquam laborem recusavi. Nunc verò Dominus vocat me, cui præsto sum. Estote ergo fideles & operamini in dilectione DEI & proximi usque ad mortem & regnabitis in æternum. Dein signo S. Crucis facto, omnibus suam benedictionem impertivit, ipse verò postquam sacro sumpto viatico, erga crucifixum JEsum varios *fidei, spei, charitatis, doloris, & resignationis* actus elicuerat, expansis in crucis formam manibus, oculos in cœlum erexit, & spiritum suavissimè reddidit Creatori. *Paul. Reg.* Quantuscunque sis, cogita te hominem esse mortalem.

Ora pro me magne Ecclesiæ Antistes S. Amasi! effice tuis apud DEUM precibus, ut supremus vitæ actus sit ardentissimus amor erga JEsum crucifixum. Et Tu &c. -- O *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, salutabo hodie iterum crucifixum dicámque: Salvete sanctissima ossa Domini JEsu Christi Salvatoris nostri in ligno crucis dinumerata. Addam *Pater & Ave.*

Ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. *Joan.* 3.

Q. An Judæi agnoverint suum delictum? ℟. Quod ita: quia percutientes pectora sua revertebantur.

B. Joannes Columbinus, licèt quotidie variis exagitaretur incommodis, tentationibus & adversis, non aliter tamen quàm si in mediis paradisi gaudiis vixisset, gaudebat, exultabat, in dulcia laudum cantica suaviter erumpebat, sæpiùs illud ingeminans: *Laudetur JESUS Christus crucifixus. Lyr.* Qualis & quantus sis, probant adversa: Hæc cos sunt virtutis.

Juva me precibus tuis B. Joannes: ut inter adversa, in JEsum crucifixum oculos animúmque intendam, omniáque à manu DEI acceptem cum gaudio & exultatione. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, & diei mortis meæ, & Vos ô beatæ in cœlis animæ, quondam &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, ad pedes crucifixi prostratus dicam: *Salvete Domini nostri JESU Christi Salvatoris Pedes adorandi, pro nobis, clavis affixi.* Addam *Pater & Ave, &c.*

Pauper factus est Christus, ut nos illius paupertate ditescamus: servi formam accepit, ut nos libertatem recipiamus -- mortuus est, ut nos servet, *S. Greg. Naz.*

Q. An etiam milites ex visis miraculis conversi sint? ℟. Quod ita: præsertim centurio exclamavit, Christum, verum esse Filium DEI,

HOdie Virgo gloriosa sanctissima DEI Mater MARIA in supernorum gaudia civium assumitur. Hodie MARIA in sublimi super omnium cœlitum choros throno collocatur. Hodie MARIA, quæ JEsu Christo usque ad mortem crucis, ita compassa est, ut esset Regina Martyrum, Mater dolorum, singulari diademate coronatur Regina Angelorum, sícque secundùm multitudinem & mensuram dolorum, consolationes Domini lætificaverunt animam MARIÆ. En præcessit in cœlum Mater. Esto bonus MARIÆ filius, ut sequaris.

Exaudi preces servorum tuorum Benignissime DEus, ut sicut hodie gloriosam Virginem MARIAM, de præsenti sæculo ad cœlestia gaudia transtulisti, nobis quoque eâdem sanctissimâ Virgine intercedente, felicem ex hac vita transitum clementissimè concedere digneris. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JEsu, Regina Martyrum MARIA, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, pio affectu salutabo hodie Crucifixum, dicámque: *Salve totum corpus JESU Christi pro nobis in cruce suspensum, vulneratum & mortuum.* Addam *Pater, & Ave, &c.*

Aut amor, aut furor est, qui te bone Christe peremit: Est amor, & furor est: hic meus ille tuus. *S. Franc. Sales.*

Q. An Christus priùs mortuus fuerit, quàm latrones crucifixi? ℟. Quod ita.

S. Rochus antequam naſceretur, jam ad arctius JEſu crucifixi obſequium à DEO eſt deſtinatus: Ex utero enim materno, in lucem hanc prodiit, portentosâ cruce variis coloribus diſtincta, carníque impreſsâ inſignis. Mira in eodem erat pietas & tenerrimus affectus erga crucem Domini, quâ etiam plurimos, prodigiosè prorſus, reſtituit ſanitati. *In vita.* Felix, qui à teneris cruci & jugo Domini aſſueſcit.

Per merita S. Rochi propitiare Domine omnibus iniquitatibus meis, ſana omnes infirmitates meas, & redime de interitu vitam meam. Et Tu cumprimis -- O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JEſu, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præſertim hodierni, & diei mortis meæ, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, dicam hodie: *Salve aqua Lateris Domini noſtri JESU Chriſti, ex ſanctiſſimo Lateris vulnere adeò liberaliter effuſa.* Addam: *Pater, & Ave &c.*

Traxiſti omnia ad Te, & cùm expandiſſes totâ die manus tuas, ad populum non credentem, & contradicentem tibi; confitendæ Majeſtatis Tuæ ſenſum, totus mundus accepit. *S. Leo.*

Q. Quare Chriſto non fracta ſint etiam crura ſicut latronibus? ℟. Quia Chriſtus jam anteà exſpiravit, adeóque ſupervacaneus erat labor.

B. Joannes à Bobadilla, Salmanticensis, ex Ordine Min. post vitam in Religione sanctissimè actam, morbo valde gravi & diuturno vexabatur. Tanti languoris ærumnas tamen constantissimè sustinuit, id unum desiderans, ut eâ die moreretur, quâ DEI filius pro hominum salute vitam posuit in cruce: Pio servi sui desiderio annuit bonus DEUS: Obiit enim in ipsa Parasceve, eâdem die & horâ, quâ JEsus Christus exspiravit. *In vita.* Vis impetrare, quod petis à DEO, fac, quod desiderat à te DEUS.

Fac nos ô bone JEsu tuam in omnibus facere voluntatem, atque vias nostras interveniente B. Joanne ita dirige, ut in sancto tuo timore, amore, ac servitio vivere, ac mori valeamus. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JEsu, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, dicam hodie coram Crucifixo prostratus: *Salve pretiosissime sanguis de corpore Domini JESU Christi Salvatoris nostri pro nobis effuse:* Addam *Pater, & Ave, &c.*

O admirabilis potentia crucis! ô ineffabilis gloria Passionis! in qua & tribunal Domini, & judicium mundi, & potestas est crucifixi. *S. Leo.*

Q. An crurifragium fuerit supplicij genus distinctum à cruce? ℟. Quòd ita.

HOdie S. Helena, Magni Constantini Mater octogesimo ætatis suæ anno, in amplexu S. Crucis sanctissimè decessit. Magna hæc Imperatrix, cùm JEsum Christum amaret tenerrimè, divinitus admonita est, ut Terram sanctam viseret, in sacrosanctum Dominicæ Crucis lignum sollicitè indagaret. Obtemperavit monitis Helena, & quod quæsivit, tandem multo labore, magnâque industriâ invenit. In eodem loco magnificum templum, aliásque triginta Ecclesias exstruxit, & cultum S. Crucis, JEsuque crucifixi amorem & venerationem per totum orbem mirificè propagavit. *In vita.* En Crucem operosè quærit Helena: Eccur tu fugis, tibi à DEO ultrò oblatam?

Infunde ô bone JEsu, infunde cordibus nostris, intercedente S. Helenâ S. Crucis amorem, ut pretium illius bene agnoscere, & te ac illam in omnibus & super omnia diligere valeamus. Et Tu cumprimis --- O piissima Virgo, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, sæpiùs hodie salutabo JEsum crucifixum his verbis: *Salve sanctissima D. N. J. C. anima, in cruce pro nobis in manus Patris commendata.* Addam *Pater, & Ave.*

Si in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus ad invicem, & sanguis JEsu Christi filii ejus emundat nos ab omni peccato. 1. *Joan.*

Q. An mons Calvariæ usque ad tempora S. Helenæ, nomen suum retinuerit? ℟. Negativè; Hic enim mons tunc vocabatur *Venerarium*, ob Veneris simulacrum, *S. Hier.*

XIX.

S. Ludovicus jamjam à Patre suo Carolo Neapoli & Siciliæ Rege, regnorum hæres destinatus, mundo valedixit, & crucem JEsu Christi est amplexus, sub Regula S. Francisci. Dominicæ Passioni, JEsuque crucifixo, semper erat devotissimus, verus Seraphici sui Patriarchæ filius. Summi Pontificis jussu, in Tolosanum consecratus Episcopum, Dominicum gregem verbo solertissimè pascebat & exemplo. Quotidie expansis brachiis, officium de S. Cruce dicere solebat, ut aliquam saltem dolorum partem sentiret, quos Salvator Christus, nostrî causâ pertulit in cruce. Hebdomadâ sanctâ ante pascha, ægros invisebat, ulcera mundabat, osculo eadem delibabat. Christus ipse reliquos inter leprosos, sancto huic viro spectabilem se stitit. *In vita.* O quanta dignatio!

Ora pro me S. Ludovice, ut discam tuo exemplo, omnia terrena contemnere, & ea solùm, quæ JEsu crucifixi sunt, præ omnibus æstimare. Et Tu cumprimis - - O &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, crucem Domini hodie salutabo; *Salve ô crux sacrosancta, arbor vitæ pretiosa, lignum salutis, in quo Dominus noster JEsus Christus, salus mundi pependit. Venite, adoremus.* Addam: *Pater, &c.*

Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. 1. *Cor.* 15.

Q. In quali loco montis Calvariæ erat erectum hoc simulacrum Veneris? ℟. In eodem loco, in quo crux Christi defossa jacebat. *S. Hier.*

S. Bernardus Abbas Claræ vallensis, Christi patientis dolores, plagas, flagella, sanguinem, crucem & mortem assiduâ meditatione volvebat: In his ferè occupatio omnis & cogitatio: Videbatur sibi, jam iisdem cum Christo flagellis cædi, spinis iisdem coronari, clavis iisdem, crucis ligno affigi. Jam videbatur palatum fellis amaritudine imbui, jam sanguine ablui. Subinde præ compassionis vehementia totus replebatur amaritie, jam ambrosiam & nectar dulcissimum, plenis faucibus è vulneribus JEsu Christi hauriebat, qui eundem etiam suavissimo strinxit amplexu. Totus denique Bernardus demersus erat in contemplationem Dominicæ Passionis, in SS. Vulnera crucifixi Salvatoris. *In vita.* Et quo Tu?

O mellifiue Doctor S. Bernarde! impetra mihi, ut velut apicula, salutem hauriam ex fasciculo Myrrhæ, ex sanctissima JEsu Christi Passione. Et Tu cumprimis - - O piissima &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, hodie salutabo SS. Vulnus manûs sinistræ, dicámque: *Salve sanctissimum vulnus manûs sinistræ Domini JESU Christi Salvatoris nostri.* Addam: *Pater, & Ave.*

In his, videlicet vulneribus Christi, mihi interdum potus salutaris amaritudinis, ex his rursum suavis unctio consolationis. *S. Bern.*

Q. Quare illud simulacrum erexerunt Judæi? ℟. Ad obliterandum penitùs è mentibus fidelium, memoriam crucis. *S. Ambr. Nic.*

B. Volandus ex Ordine S. Dominici, singularis JEsu crucifixi cultor & amator, creberrimè, pectus suum salutari crucis signo muniebat. Dum autem ejusdem corpus in loco magis honorifico reponendum, transferebatur; in osse, quod erat cordi proximum, crucifixus distinctè expressus cernebatur, liliis cinctus. *Barri.* Ita ornari virum oportuit, moribus & vitâ angelum, & mundo crucifixum.

Concede nobis Domine JEsu crucifixe, ut B. Volandi, cujus gaudemus meritis, efficacem apud te pro nobis intercessionem sentiamus. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JEsu, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, & diei mortis meæ, & Vos, ô beatæ in cœlis animæ, quondam JEsu crucifixo peculiariter devotæ, Vos ego &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, salutabo SS. Vulnus manûs dextræ, dicámque: *Salve sanctissimum vulnus manûs dextræ Domini Salvatoris nostri JESU Christi.* Addam *Pater, & Ave &c.*

Sanguis Domini tui, si vis, datus est pro te; si nolueris esse, non est datus pro te. *S. Aug.*

Q. Quando fuerit sanctissimum latus Christi lanceâ apertum? ℟. Postquam jam exspirâsset,

B. Andreas Avellinus, Clericus Regularis, Urbis Neapolitanæ Patronus, adeò ferventi JEſum crucifixum imitandi ſtudio æſtuabat, ut continuò ad Martyrum tormenta anhelaret; Nec alia erant ejusdem vota & deſideria, niſi ut cum JEſu crucifixo cruci affigeretur. Hinc verbis his aſſiduè crucifixum alloquebatur. *Ah quanta! quanta JESUS meus, Unigenitus DEI filius pertulit? Ah quando, ut paria poſſim pati, transfixas mihi ſentiam manus, conterebratos pedes, latus transverberatum? In vita.* Si Martyr eſſe cupis, crucifige carnem tuam cum vitiis & concupiſcentiis tuis.

DEus, à quo bona cuncta procedunt, da nobis famulis tuis intercedente B. Andrea, ut cruci JEſu Chriſti, noſtra affixa ſint corda, ubi vera ſunt gaudia. Et Tu cumprimis - - O piiſſima Virgo, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, dicam hodie peculiari devotionis affectu: *Salve ſanctiſſimum vulnus pedis ſiniſtri Domini Salvatoris noſtri JEſu Chriſti, & iterum millies & infinities millies ſalve.* Addam *Pater & Ave.*

Sanguis Chriſti, volenti eſt ſalus: nolenti ſupplicium. *S. Aug.*

Q. Quare unus militum Chriſto jam mortuo lanceâ latus transfixerit? ℟. Cùm crura Chriſti jam mortui frangere noluerint milites, ideò ut Judæis rabie plenis, ſaltem aliquid tribuerent, unus militum pro nova contumelia, latus Chriſti lanceâ aperuit. *Euthym.*

S. Philippus Benicius jamjam moriturus: *Date*, ajebat, *Date mihi Librum meum: Meum Librum mihi date.* Quòd cùm adstantes non intelligerent, Crucifixum petiit: Hunc tenerrimo complectebatur affectu, exclamans: *Hic, hic est, hic meus liber, in quo ego lego Beneficia DEI infinita.* Diu in sancta Crucifixi contemplatione immotis oculis perseverabat: Tandem ajebat: *Tu es Tu es Domine JEsu! in quem credidi, quem prædicavi, quem quæsivi, quem dilexi. In vita,* Et qualis est tua divinorum beneficiorum memoria? fortasse vix ulla.

Intercedat pro nobis apud tuam clementiam Domine JEsu crucifixe, B. Philippus fidelis servus tuus & MARIÆ, ut mens nostra, salutari JEsu crucifixi contemplatione excitata, & abstrahatur à noxiis, & ad salutaria dirigatur. Et Tu cumprimis --O piissima &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, salutabo hodie vulnus sanctissimum pedis dextri dicámque: *Salve, & iterum millies, ac infinities millies salve sanctissimum vulnus pedis dextri Domini Salvatoris nostri JEsu Christi!* Addam in fine: *Pater, & Ave, &c.*

Venit Christus: sed primò salvare, posteà judicare, eos judicando in pœnam, qui salvari noluerunt; eos perducendo ad vitam, qui credendo, salutem non respuerunt *S. Aug.*

Q. Quid ex hoc vulnere lanceâ facto, colligi potest? ℟. Colligi potest inaudita rabies Judæorum, quia cùm in viventem ampliùs non possent, in mortuum sæviebant.

S. Bartholomæus Apoſtolus, Galilæus, in India citeriore JEſu Chriſti Evangelium, innumeros inter labores & calamitates ardentiſſimo zelo prædicavit. Ubique in honorem ſanctæ crucis, templa erexit. Ut DEUM in vota ſua flecteret, animásque DEO lucraretur, centies in die, toties noctu fertur ante crucem Domini ſui proſtratus orâſſe. In Armeniam demum profectus, Polymium Regem, ejúsque Conjugem, & inſuper duodecim Civitates ad Chriſtianam fidem perduxit: Juſſu tamen Aſtyagis, pellis vivo crudeliter detracta eſt, & caput reſciſſum. *In vita.* An & tibi fides, & JEſus charior quàm vita? O utinam!

Da nobis omnipotens ſempiterne DEUS, Beati Apoſtoli tui Bartholomæi meritis intervenientibus, & amare, quod ille credidit, & prædicare, quod docuit. Et Tu cumprimis -. O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JEſu, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, dicam devotè: *Salve ſanctiſſimum vulnus lateris Domini Salvatoris noſtri JESU Chriſti, & iterum millies ac infinities millies ſalve.* Addam *Pater*, & *Ave*.

Si non ſalvantur omnes, ſibi, non DEO debent imputare. *S. Aug.*

Q. Quæ cauſa hujus vulneris in SS. Latere Chriſti? ℟. Ut per vulnus viſibile, vulnus amoris inviſibile videamus, *S. Bern.*

S. Ludovicus Galliarum Rex, qui S. Blancæ Matris precibus, suam debet innocentiam piámque educationem, à teneris affectu singulari prosequebatur JEsum crucifixum. In ejus memoriam, singulis feriis sextis, nec pisces, nec fructus degustabat, nudipes incedebat: Quod ut celaret, certo quodam, ad hanc mortificationem tegendam apto calceorum genere utebatur. Arduam, in terram sanctam expeditionem suscepit amore JESU crucifixi. Eodem regnante, prægrandis è cœlo lapis est delapsus, cui crucifixi effigies erat impressa, cum titulo aureis desuper characteribus descripto: JEsus Nazarenus Rex Judæorum. *In vita.* Regem, Principem, aut Nobilem esse, æquè probis ac improbis est commune: sanctum esse, soli virtuti est proprium. Si hanc non habeas, parùm feret aliquando solatii, regia corona.

Juva me precibus tuis S Ludovice, ut omnibus mundi regnis, opibus & deliciis præferam animæ meæ salutem: Hoc enim unum, est omnino necessarium. Et Tu &c *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, dicam: *Salve sanctissime sanguis & aqua è latere sanctissimo Domini nostri JEsu Christi effusa, iterúmque millies salve!* Addam *Pater & Ave &c.*

Clavi, qui manus pedésque Christi transfixerunt, perpetuis diabolum fixêre vulneribus. *S. Aug.*

Q. Quæ adhuc causa sanctissimi vulneris in latere Christi? ℟. Ut illuc nos recipiamus tempore tentationis, velut columbæ in foramina petræ. *S. Aug.*

XXVI.

S. Austreberta, puella olim vanicula, quoties in speculo, formam suam contemplari, vultúmque in illo examinare solebat, toties se in monialis habitu, velóque sacro tectam conspexit: Hinc commota, sæculo valedixit, & jamjam nuptiis destinata, alium sibi sponsum, JEsum crucifixum elegit. Hunc, ad finem usque, tenerrimè dilexit. Hunc cordi adstrinxit, & piissimis sine numero osculis & affectibus honoravit, dicens: *Ecce ego ad te Domine JESU venio, quem amavi, ad te propero, quem concupivi, ad te velut fontem vivum sitio super omnia, quem semper ardentissimo amore dilexi.* Sicque sanctissimè obiit. *In vita.* Si speculum desideras, inclina te in sepulchra: in ossibus mortuorum, velut in speculo non fallaci, te contemplare. *S. Ephrem.*

O S. Austreberta ora pro me, ut discam omnem mundi vanitatem contemnere, & soli JEsu crucifixo toto corde adhærere. Et Tu &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, dicam hodie: *Salvete sanctissimæ plagæ & livores per totum corpus Domini Salvatoris nostri JESU Christi, diffusi.* Addam *Pater, & Ave &c.*

Graviorem ab eo Christus sustinet persecutionem, qui exemplo pernicioso, pervertit animas, quas seduxit, quàm à Judæo, qui suum sanguinem fudit. *S. Bern.*

Q. Quæ adhuc causa vulneris in sanctissimo latere Christi? ℟. Ut nobis vitæ panderetur ostium, de quo Sacramenta Ecclesiæ manarent. *S. Leo.*

SS. Marcus & Marcellianus, illuſtriſſimi Martyres, licèt ad ſtipitem eſſent alligati, pedésque clavis confixi, liberrimè tamen JEſum crucifixum ſunt profeſſi. Nunquam, ajebant, tam jucundè epulati ſumus, quàm hæc libenter JEſu Chriſti causâ perferimus, in cujus amore nunc fixi eſſe cœpimus: Utinam tam diu nos hæc pati ſinat, quamdiu hoc corruptibili corpore veſtiti erimus, Totam noctem divinis laudibus inter tormenta canendis tranſigebant. Tandem telis transfixi migrârunt ad JEſum crucifixum. *In vita.* Finis coronat opus.

Præſta quæſumus Domine, ut ſancti Marci & Marcelliani ſanctorum Martyrum tuorum interceſſione à malis imminentibus liberemur. Et Tu cum primis -- O piiſſima &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, dicam hodie devotè coram Crucifixo: *Salvete ſanctiſſimi clavi, quibus ſanctiſſimæ manus & pedes Domini noſtri JESU Chriſti, cruci fuerunt affixi, iterúmque millies & infinities millies ſalvete.* Addam *Pater, & Ave, &c.*

Aperuit lancea, non vulneravit latus: non enim nobis vulnus erat, ſed medicina, ictus ille, quem ipſa inflixit. *S. Aug.*

Q. Quare Chriſtus voluerit etiam poſt mortem hanc plagam in ſanctiſſimo latere excipere? ℟. Quia cum Chriſtus Pelicano ſolitudinis aſſimiletur, voluit pectus ſuum aperiri, ut nos velut pullos ſuos, cordis proprii ſanguine nutriret. *Lyr.*

S. Aurelius Augustinus Præsul sanctissimus lectis ex Divi Pauli Epistola verbis illis: *Non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis; sed induimini Dominum nostrum JESUM Christum*, corruptissimæ vitæ mores pravósque habitus exuit, & induit JESUM Christum. Nec voluit deinceps vivere sine vulnere, cùm suum in cruce Dominum viderit vulneratum. In sacris enim Christi JESU vulneribus habitare, ibique suam fixisse stationem, animíque invenisse requiem videbatur Augustinus. Tanto denique flagrabat JEsu crucifixi amore, ut in corde suo saucius, quinque sanctissimorum vulnerum stigmata circumferret. *In vita.* Forsan & Tu stigmata circumfers, non amoris Divini, sed conscientiæ cauteriatæ.

Præsta, quæsumus Domine JEsu, ut qui nostris peccatis indesinenter affligimur, per sanctam tuam Passionem, & B. Augustini intercessionem liberemur. Et Tu-- O &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, dicam hodie: *Salve sacra lancea, quæ sanctissimum latus Domini nostri Salvatoris JESU Christi aperuisti & iterum millies salve.* In fine *Pater, & Ave, &c.*

Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. *Isa.* 53.

Q. An dextrum, an sinistrum latus sit transfixum? ℟. Aliqui sinistrum volunt, quia ibi est sedes cordis, alii dextrum putant.

B. Nicolaa Virgo, ut erga crucifixum JESUM & ſtantem ſub cruce ſanctiſſimam Matrem, intenſiſſimæ concipere poſſet compaſſionis affectum, dolores novis cumulari doloribus, quotidie petiit & impetravit. Quinquaginta annis lecto affixa, jam intumeſcebat, jam detumeſcebat, jam ſentiebat vehementiſſimas capitis, jam cordis afflictiones, jam laterum puncturas, jam cancrenæ pectus continuò corrodentis cruciatus experiebatur. Feſtis potiſſimùm diebus, tanta petebat pati, & patiebatur, ut ex ægrotæ Virginis corpuſculo, flammæ quædam erumpere ſint viſæ. *In vita.* Faciliùs miſeriæ, morbi & dolores, quàm gaudia & deliciæ, promovent virtutem, conducunt ad ſalutem. Committe te DEO: ille ſolus ſcit, quid tibi proſit.

Concede nobis Domine JEſu per merita B. Nicolaæ, ut quod à te obtinere, orando nitimur, hoc bonis operibus exequamur. Et Tu cumprimis -- O piiſſima Virgo, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, dicam devotè coram Crucifixo: *Salve ſacra ſindon, quâ nuditas Domini JESU Chriſti Salvatoris noſtri fuit velata.* Addam *Pater, & Ave, &c.*

Agnoſcat homo, quantum valeat, & quantum debeat; & dum pretium ſuum cogitat, vilis ſibi eſſe deſiſtat. *S. Aug.*

Q. Quæ ſententia probabilior? ℟. Veroſimilius eſt, latus dextrum fuiſſe confoſſum, Ita *S. Greg. Naz. S. Athan. S. Bern. S. Bonav.*

S. Rosa à S. Maria, in honorem Crucifixi, cilicio, flagellis, inediâ, vigiliis corpusculum extenuabat, sub velo capitis, coronam 90. aculeis horridam, octo annis die noctúque gestabat, lectulum ex nodosis truncis componebat. Morbos gravissimos, domesticorum odia, linguarum morsus, quindecim annis desolationem spiritûs, ariditatem, animi angores, forti, lætóque animo ferebat. Hinc merebatur, ut tandem Christus JEsus eandem cœlestibus delitiis & visionibus recrearet, & cordis sui sponsam compellaret. *In vita.* Rosæ tales JEsu Christo adeò charæ non crescunt, nisi inter spinas.

Fiat, quæsumus Domine JEsu crucifixe, per gratiam tuam fructuosus nostræ devotionis affectus, & intercedente S. Rosâ, tuæ sit placitus pietati. Et Tu cumprimis -- O &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, salutabo hodie sacrum Calvariæ montem, dicámque: *Salve mons sancte, & iterùm millies, ac infinities millies salve sancte mons Calvariæ, quem Dominus Salvator noster JESUS Christus suo pretioso sanguine, & sanctissimâ morte crucis sacravit, & sanctificavit.* Addam *Pater, & Ave, &c.*

Agnoscat homo, quantum ab illo exspectet DEUS, & quem tantâ dignatione habuit charum, quàm velit in conversatione pretiosum. *S. Aug.*

Q. Quæ ratio persuadet latus dextrum Christi, fuisse lanceâ apertum? ℟. Sindon sacra seu linteum illud, vulgò sanctum sudarium, quo Christi corpus fuit involutum.

S. Vitaliana Virgo in magna ſanctitatis fama obiit. Sepulchrum ejus inviſit B. Martinus: Et ecce: defuncta ſe è tumulo erexit, & à viro ſancto petiit benedictionem. Obſtupuit quidem Martinus, quæſivit tamen ex Vitaliana: an jam cœli gaudiis frueretur. Negavit illa, eò quod feriâ ſextâ, quâ JESUS Chriſtus paſſus, & crucifixus eſt, ex quadam vanitate corpus laverit. Per preces tamen B. Martini, in conſpectum DEI eſt admiſſa. *In vita.* Alia nempe ſunt judicia DEI, alia hominum; Tantum obeſſe poſſunt etiam illa, quæ nobis minima videntur.

Intercede pro nobis S. Vitaliana, ut tuo exemplo edocti, diſcamus minima quæque præcavere. Et Tu cumprimis - - O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JEſu, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! Vóſque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præſertim hodierni, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, dicam hodie: *Salve ſanctiſſima Virgo, Mater MARIA, ſalvete ſancti Angeli pacis amarè flentes, & alii Sancti, & Sanctæ DEI, Chriſto morienti aſſiſtentes.* Addam *Pater, & Ave, &c.*

Quicunque vult invenire gratiam, non levet oculos à cruce. *S. Bern.*

Q. An lancea in Chriſti latus dextrum adacta, etiam tranſiverit ad latus ſiniſtrum? ℟. Quod ita. *S. Brigit.*

B. Petrus, ex Ordine Cisterc. tanto JEsu crucifixi amore erat incensus, ut manus ac pedes suos clavis ferreis transfixerit, atque ut similior Christo in cruce morienti fieret, ferrô candente vulnus grande lateri suo inusserit. *Chron. Ord.* Scilicet ubi amatur, ibi animus etiam per vulnera roboratur, & ad majora in dies animatur.

DEUS, qui conspicis omni nos virtute destitui, per sanctissimam Passionem & Crucem Unigeniti Filii tui JEsu Christi, & per intercessionem B. Petri, & aliorum Sanctorum, nos interius exteriúsque custodi, ut ab omni peccato præservemur, & à pravis cogitationibus mundemur. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, & diei mortis meæ, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, considerabo hoc, mense diebus singulis aliquam virtutem, quæ relucebat in JEsu crucifixo.

Tota vita Christi, crux fuit & Martyrium, & tu quæris requiem & gaudium? *Kemp.*

Q. Quæ quantitas fuerit illius vulneris in latere Christi? ℟. Grande hoc vulnus fuisse necesse est: tantum enim erat, ut unius hominis manum capere posset, dicente ad Thomam Domino: *Affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Lansperg. hom. 44.

S. Stephanus, Rex Hungariæ, JESU crucifixi Evangelium, accitis in hunc finem multis Abbatibus, Sacerdotibus, Viris Apostolicis, ardentissimo zelo per omnes sibi subditas ditiones promovit; Proceres, Nobiles, qui relictâ idololatria ad crucem Christi transierunt, gratiis & favoribus auxit. In honorem JESU crucifixi, Ecclesiam etiam Hierosolymis erexit, ad vexillum crucis faciliùs explicandum; ubique in Regno suo templa extruxit, Episcopatus fundavit: Emerico filio commendabat sæpiùs, ut præ omnibus amaret JESUM & MARIAM. Catholicam fidem protegeret, Præsules & Ecclesiasticos coleret, justitiam administraret, à suis magìs amari satageret quàm timeri: Tandem præmisso jam ad superos Emerico, in suavissimo JESU crucifixi amplexu plenus meritis expiravit. *In vita.* Ecce hæc Regibus propria, & verè Regia ad Cœlum est via.

Perfice, quæsumus Domine in nobis, deprecante S. Stephano Confessore tuo, piè concepta desideria, ut quæ de Auctore, facienda, & imitanda cognovimus, te operante impleamus. Et Tu cumprimis -- O &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, considerabo, quanta in JESU crucifixo obedientia; quia factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Sanguinem pro te fudit unicus DEI Filius! Erige te ô anima! tanti vales. *S. Aug.*

Q. An vulnus lateris fuerit inter ossa pectoris, an inter costas? ℟. Intra mollem carnem.

III. SEP-

S. Juttæ Viduæ, comparuit Christus cum dilecto Discipulo Joanne, eique, ùt olim Thomæ Apostolo sanctissima vulnera sua manibus tractanda dedit, & labia sanctissimo lateri suo admovere jussit, præbuitque ex eo cœlestem dulcedinem sugendam. Ex quo tempore sancta Matrona talem obtinuit sacrarum scripturarum intelligentiam, ut de subtilissimis etiam Mysteriis clarè, & profundè discurrere posset. Præterea plurimum auxit Christus gratiam contemplationis circa Dominicam Passionem. *P. Frideric. Schembeck. S. J.* Desere humana, si cœlestia obtinere cupis solatia.

Devotionem populi tui quæsumus Domine benignus intende, ut qui S. Juttæ gloriosa merita recolimus, ejus quoque exemplis in JESU crucifixi amore crescamus. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, cogitabo quanta in Unigenito DEI Filio, JESU crucifixo *Humilitas*, qui humiliavit semetipsum, & non dubitavit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum.

Ille à nobis rationem exacturus est, qui pro nostra redemptione ad crucem damnatus est. *Euseb. Emiss.*

Q. Unde adhuc colligitur quantitas vulneris in sanctissimo lateres Christi? ℟. Colligitur ex sacra Sindone, quod vulnus grande fuerit.

S. Rosalia Virgo nobilissima, mundi pompas & regales nuptias est aspernata, atque ut omnes suos affectus & cogitationes in JEsum crucifixum transferret, paternam domum, omnésque res & spes deseruit, & horridum tetricæ rupis antrum, specúmque subterraneam elegit, sibi, & mundo mortua, & JEsu Christo consepulta. Rupi illi, hæc verba inscripsit: *Ego Rosalia Sinibaldi Quisquinæ, & Rosarum Domini filia, amore Domini mei JESU Christi in hoc antro habitare decrevi.* Demùm ut tutiùs lateret, ex antro Quisquinensi in horridiorem speluncam se transtulit, ibidem non nisi herbis, & radicibus victitabat, orationi vacabat, nihilque aliud in oculis, nihil illi aliud erat in animo, quàm Crux & JESUS crucifixus. *In vita.* O quàm sæpè in fuga est salus.

Concede nobis quæsumus Domine DEUS Salutaris noster, ut B. Rosaliæ intercessione, piæ devotionis affectu erudiamur, & ab iracundiæ tuæ flagellis misericorditer liberemur. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, considerabo ineffabilem illam JESU crucifixi *charitatem*, quâ tradidit semetipsum pro nobis.

Cùm adhuc peccatores essemus, pro nobis mortuus est. *Rom.* 5.

Q. An etiam latus sinistrum fuerit vulneratum?
℟. Lancea tam validè in latus Domini est adacta, ut pene per aliud latus transiret.

S. Eudoxius, eosdem, qui sanctum hunc virum ad mortem quærebant, mensæ suæ adhibuit hospites, imò ipse, cùm ignotus illis esset, se, quis esset, manifestavit, tradidítque in vincula, & ad supplicia raptandum. Flagellis cæsus, memor Domini sui JEsu crucifixi, tollebat in cœlum oculos, bene precabatur tortoribus suis, atque dum ferreis globis caput illius, & ossa comminuerentur, orabat, ut DEUS tortores illos beneficiis cumularet. *In vita.* Sic vindicare solent sancti, illatas sibi injurias.

Respice, quæsumus Domine JEsu super hanc animam meam, & mihi meorum tribue remissionem peccatorum, interveniente S. Eudoxio Martyre tuo, qui etiam pro tortoribus suis oravit in medio suppliciorum. Et Tu cumprimis - - O piissima &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, accuratè hodie expendam inauditam Christi crucifixi *patientiam*, utpote qui verè vir dolorum est, nobísque clamat de cruce: Attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus.

Lava animam meam, quam tua imagine signâsti, munda corpus, quod redemisti. *Hugo de S. Vict.*

Q. Si lanceæ cuspis etiam penetravit usque ad latus sinistrum, cur non sex vulnera numerantur? ℟. Quia vulnus erat exiguum, hinc non computatur: Christus igitur tantùm quinque majora habuisse vulnera dicitur.

B. Benevenuta Austriaca, sacrâ præsertim ante paschales ferias hebdomade, JESU crucifixo inter suspiria & singultus compatiebatur vehementissimè; imò præ doloris magnitudine in lacrymas sanguine mixtas colliquescebat, atque, ut se vinctam JESU Christi testaretur, biennio toto adeò arctè membra sua, fune constricta habuit, ut in carnem ipsam penetraret, eámque summis doloribus excruciaret. *In vita.* Non cruciant, nec onerant hæc vincula, sed ornant. Quid ergo tibi adeò placet, perniciosa mundi libertas?

Precibus B. Benevenutæ quæsumus Domine, aures misericordiæ tuæ clementer indulge, & fac nos tua semper gratiâ, & salutari acerbissimæ Passionis effectu gaudere. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, extremam JESU crucifixi paupertatem considerabo, quoniam propter nos egenus factus est, cùm esset dives, & quidem ita, ut nec habuerit, ubi caput reclinaret.

Verè flores rubentes & ardentes; rubentes sanguine Passionis, & ardentes igne charitatis. In passione rubescunt, ardescunt in charitate. *S. Bern.*

Q. Ubi fuerit locus vulneris? ℟. Vulnus lateris Christi erat in ea parte, ùt communiter pingi solet.

S. Reginæ Virginis cor, amore JEſu Chriſti ſaucium, miris expugnare contendebat blanditiis Præſes Olibrius: Cùm autem nihil omnino obtineret, amor verſus eſt in furorem. Ad equuleum igitur raptari jubet Virginem, torqueri crudeliter. Hæc inter. Regina à Chriſto JEſu, ad dura quæque ferenda ita animatur, ut continuò exclamaret: *Libenter patior: Chriſtum JEſum habeo, qui confortat me.* Hásque inter voces ſanctiſſima Virgo & Martyr exſpiravit. *In vita.* Non eſt, quod metuas, ſi habeas JESUM.

Ora pro nobis S. Regina, ut ſoli JEſu Chriſto in omnibus placere, & ſanctam ejus gratiam in nobis in dies augere ſtudeamus. Et Tu cumprimis - - O piiſſima &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, conſiderabo hodie infinitam JEſu crucifixi liberalitatem, quia qui potuit guttâ, tanto tamen ſanguinis profluvio nos redemit.

Patientis Chriſti memoria, ſit continuum viaticum tuum, quia per hoc, & non niſi per hoc, & tu manebis in Chriſto, & Chriſtus in te, & in futura vita plenum erit gaudium tuum. *S. Anſelm.*

Q. An ex vulnere lateris Chriſti copioſus ſanguis effluxerit? ℟. Poſtquam vulnus hoc ſanctiſſimo lateri Chriſti ſævè & crudeliter illatum eſt, retractâ lanceâ non guttatim, ſed quaſi ex plena ſcaturigine copioſus ſanguis & aqua profluxit.

HOdie nata est Regina Angelorum, hodie nata est futura aliquando Mater filii DEI JEsu Christi, hodie S. Mechtildis vidit nativitatem B. Virginis, designari in imagine arboris pulcherrimæ, quæ folia & fructus habebat aureos: in apice verò eminebat flos candidissimus, cujus fragrantia suavissima totum mundum recreabat. Et quis flos ille nisi JESUS Nazarenus, qui exaltatus in cruce trahebat omnia ad seipsum, ut currerent in odorem suavitatis. O utinam floreat semper in corde meo JEsus & MARIA.

Supple precibus tuis & tuæ devotionis fervore, teporem meum S. Mechtildis, ora pro me JEsum crucifixum, ora pro me natam Angelorum Reginam DEI Matrem MARIAM, ut mihi aliquando futura dies mortis, sit mihi beatæ in cœlis dies nativitatis. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, considerabo hodie, filialem JEsu crucifixi, erga MARIAM amorem.

Venerabilis Passionis Christi continua & devota meditatio, mentem tuam ab hujus sæculi mundanis, & carnalibus concupiscentiis sequestrabit, cor tuum ad cœlestia & spiritualia sublevabit. *S. Bonav.*

Q. An aqua à sanguine divisa, an verò sanguini immixta? ℟. Sanguis & aqua simul quidem effluxerunt ex vulnere lateris, non tamen permixta, sed divisa. *Cyprian.*

B. Michaël Gedrocius Canonicus: tanto ardebat JEſu crucifixi amore, ut unicum ejusdem in hac vita mortali videretur ſolatium, preces ſuas & lacrymas poſſe fundere ad pedes JEſu crucifixi: Imò nec noctu poterat à cruce Domini ſui avelli. Imago Crucifixi in medio templi erecta, eum ſæpius eſt allocuta ſuaviſſimè, multáque & varia, & inter hæc, ipſam imminentis mortis horam revelavit, ſicque omni ſepoſito timore, vir ſanctus, ſupremum lætus iniit certamen. *In vita.* Optimum timoris, imò omnium Paſſionum remedium, eſt Paſſio Chriſti, & JEſus crucifixus.

Eſto Domine propitius famulis tuis, & quos tibi facis eſſe devotos, deprecante B. Michaële, benigno tuo refove miſeratus auxilio. Et Tu cumprimis-- O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JEſu, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præſertim hodierni, & diei mortis meæ, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, conſiderabo hodie patientiam in guſtu, quia in ſiti ſua felle potabatur & aceto.

Deficiente ſapientiâ, juſtitiâ non ſufficiente, ſanctitatis ſuccumbentibus meritis, Chriſti Paſſio ſuccurret. *S. Bern.*

Q. An lancea fuerit cum reliquis Paſſionis inſtrumentis defoſſa? R. Quòd non: quia nequaquam erat *mortis Chriſti adminiſtra.* Lyr.

S. Nicolaus Tolentinas paulò ante mortem, Crucifixum adferri sibi voluit, ut ejus virtute velut prodigioso baculo, Jordanem hujus mundi feliciter transire possit. Conspéctâ cruce Christi, in genua prosternitur Nicolaus, atque uberrimas inter lacrymas verbis sequentibus Crucifixum salutat. *Salve Crux pretiosa, quæ digna fuisti portare mundi pretium JESUM Christum, qui in te quievit, & Latroni misericordiam imploranti pepercit, qui Matrem Virginem Virgini discipulo commendavit, DEúmque pro crucifixoribus suis oravit, ille me per te ô Crux sancta! defendat in hac hora ab hoste maligno. Mombrit.* Huic in cruce? sed ubi sunt spes tuæ?

S. Nicolae, ora pro me JEsum Christum, ut per sanctam crucem suam, præsertim in hora mortis meæ ab omni malo protegat & defendat me. Et Tu cumprimis- - O piissima Virgo, amaritudine, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, considerabo admirandam JESU crucifixi patientiam in auditu, inter tot sannas, opprobria, maledicta, &c.

Maximè prodest iis Christi mors & Passio, qui mortem propriam prævenientes & prævidentes, ad illam se, virtutum Christi imitatione disponunt. *S. Bern.*

Q. Ubi ergò primùm servata erat illa lancea? ℟. Vel erat ab amicis Christi, redempta, vel à milite jam converso, in pretio habita, ac Hierosolymis interim custodita.

B. Dorothea Vidua, ex attenta JESU crucifixi consideratione, adeò ad affligendum corpus suum, seipsam excitabat, ut se virgis, flagris, tribulis, diversi generis instrumentis, ferro candente, aquâ bulliente mirandum in modum divexaret, imò diversa sibi vulnera in brachiis, pedibus, tibiis, femoribus infligeret, ut cum dilecto suo JESU, dolorum ejus particeps facta, plurima pateretur. *In vita.* Scilicet Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

Describe in corde meo, ô JESU crucifixe, acerbissimam Passionem tuam, ut discam sincerè amare te, & semper odisse me, & per viam crucis & mortificationis tandem aliquando perveniam ad te. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, considerabo hodie patientiam JESU crucifixi, dum vidit *oculis suis*, tantam populi multitudinem ex urbe ad locum supplicii confluentem, Scribas & Pharisæos, alios ringentes, alios exultantes, mulieres plorantes, Matrem sub cruce ferè doloris vehementiâ emorientem.

Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? *Luc.* 24.

Q. Cur etiam post mortem sit transfixum latus Christi? ℟. Ut ultimam etiam guttam sanguinis nostræ redemptioni impenderet, sicque suum testaretur amorem.

S. Wicterpus Episcopus, vidit JEsum Christum, livore, sanguine & vulneribus, plenum. Exhorruit ad funestum hoc spectaculum vir sanctus & ex nimio compassionis affectu, ferè exanimis concidit: Tandem intellexit, certum quoddam Veneris mancipium esse crudelem illum carnificem, à quo JEsus denuò flagris undique concisus esset, & denuò crucifixus. *In vita.* Utinam non hodiedum, hæc tragœdia esset quotidiana! verùm: Udo! Udo! cessa ludo.

S. Wicterpe! Vir sanctarum lacrymarum, ora pro me, ut potiùs hoc momento in DEI gratia moriar, quàm ut aliquando JEsum meum denuò, per peccatum, crucifigam. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JEsu, Regina Martyrum MARIA, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, considerabo patientiam JEsu Christi crucifixi, dum sensit se in omnibus corporis sensibus extremè afflictum, ab amicis, à discipulis desertum, ab ipso Patre cœlesti derelictum.

Conqueror, quod filius meus ab inimicis suis, qui nunc sunt in mundo, amariùs crucifigatur, quàm olim à Judæis. *B. V. ad S. Brigit.*

Q. Cur Christus voluerit juxta cor sauciari & transfigi? ℟. Ut ex corde velut amoris fonte & scaturigine profluens sanguis & aqua indicaret, immensam illam erga nos charitatem.

S. Maurilius Episcopus jejuniis, austeritate vitæ & prodigiis clarissimus, morti vicinus, intento in JEsum crucifixum digito, adstantes sic est allocutus: *Videte & bene expendite, quia empti estis pretio magno valde: animæ enim vestræ pretioso Christi JESU sanguine sunt redemptæ. In vita.* Cave, ne aliquando tantum pretium pereat: sanguinem suum Dominus de manu tua requìret.

Impetra mihi S. Maurili, ut ita semper vivam, ne animam meam aliquando perdam, quæ JEsu crucifixo adeò fuit pretiosa, ut non dubitaverit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JEsu Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, & diei mortis meæ, & Vos ô beatæ in cœlis animæ, quondam &c. *fol. 1.*

Ad quod ìmpetrandum, considerabo hodie infinitam JEsu crucifixi charitatem & dilectionem erga Crucifixores suos.

Et nunc, quod gravius est, ipsi Christum persequuntur, qui ab eo utique, Christiani dicuntur. *S. Bern.*

Q. Quare non lac, sed sanguis & aqua effluxerit ex latere Salvatoris? ℟. Ut hâc ablueremur, illo sanctificaremur: aquæ enim, non autem lacti proprium est, mundare & abluere.

HEraclius Imperator, Crucem Domini à Persis receptam, suis humeris imposuit, ut eandem deferret in Calvariæ montem solenni celebritate; verùm sub ipsa porta urbis, occultâ vi retentus, subsistere est coactus. Obstupuit cum toto populo Heraclius. Zacharias verò Hierosolymorum Antistes: *Vide, inquiebat, imperator, ne isto triumphali ornatu in cruce ferenda, parùm JESU Christi paupertatem & humilitatem imiteris.* Abjecit ergo Heraclius vestem splendidam, ac nudipes vilique lacernâ indutus, facilè sanctam crucem in montem Calvariæ deportavit, & ibidem exaltavit, ubi quondam cum Christo erat collocata. *Ex Brev.* Et summi & infimi suam habent crucem. Ut tuam facilè ferre possis, esto humilis corde.

Doce me humilitatem tuam crucifixe JESU, & qui in cœlum usque exaltare soles humiles, per S. Crucem tuam salva me. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, considerabo hodie infinitam misericordiam erga latronem pœnitentem.

Vitia hominum, qui spiritualiter crucifigunt filium meum, abominabiliora & graviora sunt, ipsa crucifixione corporali. *B. V. ad S. Br.*

Q. Ubi sacra lancea fuit primum asservata? ℟. Hierosolymis in porticu Martyrii, in templo nempe ab Helena constructo. *V. Beda.*

B. Zacharias, Ord. S. Francisci, magnæ Vir sanctitatis & Seraphici spiritûs, sæpiùs ex oratione sua, quam coram Crucifixo devotissimè persolvit, reversus est solatio plenus. Nec immeritò: ibidem enim frequenter audivit JESUM è cruce loquentem, & optima quæque consulentem, quæ tum ad propriam, tum ad suorum utilitatem & salutem pertinebant. Eadem Crucifixi imago hodiedum apertis oculis & labiis, speciem refert viventis & loquentis: sub hac quoque magnus hic servus DEI voluit sepeliri. *Cardos.* Sæpè sub vili lacerna anima pretiosa, sæpè sub veste splendida, anima DEO & Angelis exosa.

B. Zacharia, crucis & crucifixi JESU amantissime! ora pro me & impetra, ut & in vita, & post mortem sit requies mea ad pedes JESU crucifixi. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, considerabo singularem illam inter tot dolores externos & internos *animi fortitudinem*: fortis ut mors dilectio.

O beatissima ipsius lateris apertura, unde nobis tot & tantæ Divinæ pietatis dona fluxerunt! *Innoc. VI.*

Q. Quorsum deinde devenerit sacra lancea? ℟. Antiochiam fuit translata: quo autem tempore, id incertum est. *V. Beda.*

SS. Martyres Abundius & Abundantius ſepoſito omni tormentorum metu, JEſum Chriſtum & hunc crucifixum palàm ſunt profeſſi. Acerbiſſima quidem ſunt perpeſſi in ipſo tamen æquuleo, gaudio perfuſi, glorificabant Dominum, illúdque iterum iterúmque ingeminabant: *Gloria tibi Domine JESU Chriſte Rex gloriæ! In vita.* Non votis ſed ſpinis plena ad cœlum eſt via. Nemo poteſt deliciari cum mundo in ſæculo præſenti, & ſimul cum Chriſto & Sanctis gaudere in futuro.

O quàm aſperam ad cœlum ſemitam, ſancti omnes tenuêre! ô quàm anguſta ad cœlum via! Per illos glorioſi veſtri Martyrii dolores vos obſecro SS. Abundi & Abundanti! Adeſte mihi in doloribus, in gemitibus mortis meæ, ut his ſuperatis videam vobiscum in gloria DEUM Salvatorem meum. Et Tu cumprimis - - O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JEſu, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, conſiderabo ardentiſſimum illum JEſu crucifixi zelum, & ſitim animarum.

Super dolorem vulnerum meorum ſcilicet manuum & pedum, addiderunt vulnus lateris. *Hugo.*

Q. An ſacra lancea Antiochiæ fuerit in veneratione? ℟. Diu ibidem incognita latuit in templo S. Andreæ,

S. Francisco Seraphico, integro ante mortem sanctam biennio, dum in monte Alverniæ, supernæ contemplationis dulcedine perfusus, Seraphicis amoris ignibus arderet, Seraphinus crucifixus apparuit, sex fulgidis igneisque alis instructus, & quinque sacrosancta SS. Vulnerum stigmata, manibus, pedibus & lateri fidelis revera, & magni famuli DEI impressit, sicque quasi totum Franciscum in Christi JEsu crucifixi expressam similitudinem transformavit. *Bonav.* O quàm multò meliora sunt vulnera diligentis JEsu, quàm oscula mundi nequissimè blandientis!

Accende vulnera, crucifige cor meum, ô amor cordis mei, ô JEsu crucifixe! ut posthac cor meum nihil diligat, nisi JEsum vulneribus plenum & crucifixum. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JEsu, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, expendam accuratè, & considerabo JEsu crucifixi diuturnum inter tot contumelias, *in cruce silentium.*

O felix lancea! quæ tot nobis bona effecit, & ad tanti triumphi gloriam superadditam, hoc ipsum sanctum latus aperiendo, januas nobis regni cœlestis aperuit. *Innoc. VI.*

Q. Quomodo fuerit sacra lancea inventa Antiochiæ, cùm ibidem tamdiu latuerit? ℟. Ab ipso S. Apostolo Andrea fuit cuidam pio Presbytero locus ostensus; in quo etiam sacra lancea est inventa.

S. Thomas de Villanova, Archi-Epiſcopus Valentinus, in omnibus difficultatibus ſive ad ſolatium capiendum, ſive ad remedium obtinendum, conſtanter recurrit ad JESUM crucifixum. Coram quo, cùm ſemel vehementer à ſuis ſubditis afflictus, multùm quæreretur, audiit vocem JEſu crucifixi: *Eja fili mi! recipies conſolationem in die natalis matris meæ.* Miraculo id confirmatum eſt, nam in illâ Crucifixi imagine os ita apertum remanſit, dentésque nudati adeò vivaciter, ut nec peritiſſimi artifices id exprimere potuerint, aut imitari. *In vita.* Hinc diſce; ubi verum ſolatium quærendum ſit, & inveniendum.

Averte à me precibus tuis S. Thoma, omnem inordinatam triſtitiam & mœrorem, & me excita ad magnam in JEſum crucifixum fiduciam, ut ad eum tanquam ad certiſſimum malorum omnium remedium confidenter recurram. Et Tu cumprimis -- O &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, conſiderabo ſingularem inter tam diuturnos dolores externos & internos, JESU crucifixi *longanimitatem.*

Quid vulnere ac plagis hujusmodi ſanctius, quid eis ſalubrius, ex quibus ſalus noſtra proceſſit, & in quibus aſſiduè curare ſe poſſunt animæ devotorum? *Innoc. VI.*

Q. An Antiocheni per ſacram illam lanceam aliquod beneficium obtinuerint? ℟. Urbs illa fuit à barbarorum exercitu, magno miraculô liberata.

S. Paula Virgo, formæ decore insignis, illustrior animæ candore, graves ab impuro lenone patiebatur insidias, quas cùm satis cavere aliter vix posset, JEsu crucifixo multis precibus & lacrymis pretiosum virgineæ innocentiæ thesaurum commendabat, & remedium atque auxilium postulabat: Et ecce repentè per miraculum adeò deformis erat vultu, sibíque omninò dissimilis, ut insidiator improbus facilè ab illa incassùm oculum averterit & affectum. *In vita.* O quot animas elegantior forma perdidit, quot oculos fascinavit! Memento hanc DEI donum esse: vide, ne illo utaris ad DEI offensam & tuam ruinam.

Doce me, S. Virgo, ut non horream displicere hominibus, sed præ omnibus id unicè quæram, placere DEO. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JEsu, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, considerabo admirandam illam usque ad finem perseverantiam.

Omnis terra commota est, ut ubique agnosceretur virtus Crucifixi, & quòd DEUS esset, qui patiebatur, non simpliciter homo. *S. Chrysost.*

Q. Quorsum deinde delata est sacra lancea? ℟. Constantinopolim in manus Imperatoris est consignata.

B. Veronica à Binasco, ut faciliùs sacrum religionis habitum impetraret, jussa est literas addiscere, quarum erat ignara. Cùm verò de die obsequiis domesticis impediretur, noctu addiscendis literis se applicabat, & frequenter, ut bene proficeret, B. V. MARIÆ Matris sapientiæ patrocinium implorabat. Nec incassum cecidêre preces: Apparuit Vèronicæ sanctissima Mater: *Ne timeas*, inquiebat *filia*: *Ego DEI Mater sum*: *neque multum labores*; *literarum si modo trium peritiam habeas, & sufficit. Prima est coloris albi, quæ cordis munditiem significat*; *altera coloris nigri, quæ docet, ne ex malis operibus proximi, scandalum accipias, sed potiùs ores pro peccatoribus. Tertia est litera rubra, quæ docet, ut quotidie Passionem filii mei JESU Christi mediteris. In vita.* Hæc nempe scientia utilissima: scire JEsum & hunc crucifixum.

O B. Veronica, ô utinam & mihi detur nôsse & amare JEsum & hunc crucifixum. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, considerabo filialem illum inter tot cruciatus amorem JEsu crucifixi, erga Patrem cœlestem.

O Duriora saxis pectora! scinduntur petræ, sed horum corda durantur. *S. Ambr.*

Q. In quo templo fuerit Constantinopoli asservata sacra lancea? ℟. In templo S. Joannis de petra.

S. Matthæus, ex publicano factus Christi discipulus, Apostolus & dein primus Evangelista, vir erat magnanimus & spiritu fervens: JESU crucifixi exemplo animatus, omnes ærumnas & afflictiones, in delitiis reputabat: Tribus & viginti annis in Æthiopia JESUM crucifixum maximo fructu prædicavit, cùm verò Iphigenia, unica Regis Egippi filia, ex consilio Matthæi, Virginitatem vovisset, & paulò post, nuptias Hirtaci Regis respuisset, S. Apostolus in ipsa ara Domini, lanceis est confixus. Verùm Hirtacus leprâ adeò deformi est percussus, ut ipse sibi manus intulerit violentas. *In vita.* Scilicet nemo hactenus impunè lacessivit DEI Ministros. Est nempe adhuc alius in cœlis Dominus, Rex super omnes Reges terræ, qui ex alto monet; *Nolite tangere Christos meos.*

Intercede pro me sancte Apostole, ut & ego juxta tuum exemplum, voci DEI, sive per se, sive per suos loquentis, fideliter & in omnibus obsecundem. Et Tu cumprimis-- &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, considerabo quanta in JESU crucifixo, quámque seria voluntas satisfaciendi Divinæ Justitiæ, pro peccatis totius mundi, præteritis, præsentibus, & futuris.

O quantum à nobis miseris es amandus, quos sic amâsti, salvâsti, sublimâsti! *S. Aug.*

Q. Quamdiu sacra lancea mansit in eodem templo Constantinopoli? R. Usque ad annum 1453.

S. Mauritius Dux Thebææ Legionis (quæ 6666. viros complectebatur, Thebis oriundos) Maximianum Imperatorem, in Gallias cum numeroso exercitu properantem, est secutus. Antequam cum hostibus confligeret Maximianus, voluit à toto Exercitu Diis sacrificari. Restitit cum Mauritio Duce, Legio Thebæa: *Parati sumus*, inquiebant, *ad bella gerenda, nequaquam autem ad sacrilegia committenda. Christiani sumus, Christum JESUM crucifixum profitemur: crucem Christi colimus, non impia idola.* His auditis decimari legionem jussit Cæsar: verùm licèt decimus quisque trucidaretur, reliqui tamen à sancta fide non recessere. Quare omnes cum Mauritio ab irruente exercitu, internecione sunt deleti. *In vita.* Tanta fides pietásque viris, qui castra sequuntur! Prima Christiani militis regula sit, ut DEO, altera ut Principi sit fidelis.

Adesto mihi morienti S. Mauriti, & vos sex millia, sexcenti sexaginta sex gloriosi Martyres adeste: Orate pro me omnes: omnium vestrûm pretiosus sanguis clamet pro me ad cœlum, & impetret mihi mortem sanctam, & æternam vobiscum in cœlo societatem. Et &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, expendam hodie quanta in JEsu mansuetudo inter tot injurias.

Ego autem gaudebo in Domino & exultabo in DEO JEsu meo. *Habac.*

Q. In cujus manus devenit sacra lancea anno 1453. ℟. In Mahometis II. Turc, Imper.

S. Dunſtanus Cantuarienſium Archi-Epiſcopus, ſacrilegos quosdam Clericos excommunicavit. Complures aulæ miniſtri, imò Rex ipſe, ſuas pro reis preces interponebat: Quid agat Dunſtanus? Chriſti crucifixi imaginem, ut in dubiis ſemper ſolebat, accedit, orat, atque an mutanda ſententia, de cœlo inquirit: Et ecce, omnibus omnino audientibus, Chriſtus de cruce reſpondit Dunſtano: *Ne feceris, ne feceris; rectè judicâſti, non rectè mutares. Osbert.* En quàm abominabiles ſint coram Domino, impii Sacerdotes! Graviora ſunt illorum delicta, & ideò gravioribus pœnis digna.

Ora pro me S. Dunſtane, ut ſemper firmus & ſtabilis in eo perſeverem, quod ſemel coram Domino rectè ſtatutum eſt. Et Tu cumprimis -- O piiſſima Virgo, amaritudine, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, rememorabo, quanta fuerit in JEſu crucifixo clementia, qui potuit eodem momento, malos malè perdere, & tamen non fecit.

O mirabilis cenſuræ conditio! peccat iniquus, & punitur juſtus: delinquit reus, & vapulat innocens: quod perpetrat ſervus, exſolvit Dominus, quod committit homo, ſuſtinet DEUS. *S. Aug.*

Q. Quò ſacram lanceam transtulit Mahometes? ℟. Ex templo S. Joannis in ſuum Gazophilacium.

S. Gerardus Episcopus, sancti Emerici sanctus Magister, cùm volitantibus undique saxis, vulnera vulneribus multiplicari adverteret, memor JEsu crucifixi, quem semper in ore, semper in corde circumferebat, positis humi genibus, jamjam exspirans sic orabat: *Domine JESU! ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt, quid faciunt.* His nihil movebantur impii: Accessit unus lapidantium & Gerardum lanceâ transverberavit: sicque ultimo vulnere magnus hic servus DEI, suo in cruce Domino, similior est factus. *Nad.* En! quantum sæpè prosint inimici, etiam tunc dum maximè volunt nocere.

O utinam S. Gerarde! ego quoque tuis adjutus precibus omnes dies horásque vitæ meæ, ac mortis ultimam, DEO meo consecrem in holocaustum. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JEsu, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, & diei mortis meæ, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, considerabo, quanta in JEsu crucifixo fuerit conformitas cum voluntate Patris cœlestis.

Quantò pro me vilior, tantò mihi carior. *S. Bern.*

Q. Quis post Mahometem obtinuit sacram lanceam? ℟. Bajazethes filius ejusdem, qui in regnum successit.

B. Joanna Francisca nullibi deliciabatur suavius, nullibi versabatur jucundius, quàm in sancta cruce, & vulneribus JESU crucifixi. Hinc in scutoriam sacri Ordinis sui tesseram, talem elegit, quæ hinc calicem cum sacrosancta hostia, inde verò, cor saucium & sanctissima vulnera repræsentaret. Religiosas verò suas, noluit alio uti vestitu, nisi chlamyde candidâ, velo nigro & scapulari rubro, in crucis formam aptato, ut omnes se juxta sponsi JEsu Christi exemplum, crucifixas esse assiduè meminissent. *In vita.* Crucifixi, aut cruce signati, sunt cœli candidati.

Juva me precibus tuis Beata Joanna, ut gratissima præ omnibus aliis sit mihi recordatio sanctissimorum vulnerum, & JESU crucifixi. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, considerabo, quanto affectu se JESUS crucifixus Patri æterno obtulerit in sacrificium cruentum.

Vulnera Christi sunt monumenta charitatis, sunt testimonia obedientiæ, sunt signa jussionis paternæ, sunt pretia redemptionis humanæ. *Rupert.*

Q. Quomodo sacra lancea Romam pervenerit? ℟. Petrus de Ambusson, magnus Hierosolymitanæ militiæ Magister persuasit Bajazethi, ut eandem dono transmitteret Innocentio octavo.

B. Stanislaus Casimiriensis Canonicus, cùm se ferventissimis precibus JESU crucifixo commendaret, audivit vocem Salvatoris JEsu Christi, qui eundem suavissimè sic est allocutus: *Surge & festina fili mi Stanislae, hodie enim mecum eris in paradiso.* Surrexit bonus senecio, sanctissimis Sacramentis muniri petiit, amicis valedixit, & prostratus in terram, manus in crucis formam expandit, animam suam DEO ardentissimè commendavit, sæpiùs illud repetens: *Domine JESU Christe, fili DEI vivi! in manus tuas commendo spiritum meum.* Hæcque inter verba, plenissimè exspiravit. *In vita.* Quàm volupe est, sic mori. O si!

Succurre O B. Stanislae, succurre mihi, de mortis hora, & de salute mea prorsus incerto. Ora pro me, ut JEsu crucifixi, & MARIÆ ac Angelorum & Sanctorum ope, tuóque patrocinio feliciter aliquando transeam ad cœlestem paradisum. Et Tu eumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JEsu, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, considerabo, quantum fuerit in JEsu crucifixo, plura adhuc patiendi desiderium.

Aspice pie Pater piissimum filium, pro me tam impia passum. *S. Aug.*

Q. Quando Bajazethes sacram lanceam dono miserit Innocentio octavo? ℟. Anno 1492.

XXVII. SEP-

B. Maria Bonaventura, cùm die veneris ex contemplatione JESU crucifixi, intimè gravitatem peccati agnoverit, doloris vehementiâ propè contabuit: serium igitur vitæ sanctioris propositum concepit, illúdque in charta descriptum, obtulit JEsu crucifixo, tenore ferè sequenti: *Ego Maria Bonaventura, serva indignissima JESU crucifixi, in conspectu SS. Trinitatis, Beatissimæ Virginis MARIÆ & totius curiæ cœlestis, offero tibi ô JESU! Sponse animæ meæ, à me infinities offense, totum affectum, totum amorem cordis mei. Nulli unquam creaturæ afficiar, ubi agnovero intercedere offensam tuam. Hoc propositum meum tibi dono, & consigno ô JESU animæ meæ Redemptor! idque in SS. Latere tuo depono. In vita.* O quàm salutare hoc propositum! Felix mundus, si omnes hujus spiritûs forent! Tu saltem cura, ut sis.

O utinam, ô utinam & meum sit hoc propositum JEsu crucifixe! ut omnino nulla in mundo creatura, adeò stultè abripiat me, ut unquam ô bone JEsu! offendam te. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, *fol.* 1.

Ad quod impetrandum! cogitabo, quàm constans, & nullo unquam casu interrupta cum Patre cœlesti unio fuerit in JEsu crucifixo.

Cerne manus innoxias pio manantes sanguine, & remitte placatus scelera, quæ patrârunt manus meæ. *S. Aug.*

Q. Quo loco Innocentius Pont. sacram lanceam reposuerit? ℟. In Ecclesia S. Petri.

SS. Theodulus, Saturninus, Gelasius cum sociis suis publicè JESUM Christum, & hunc crucifixum, coram Gentibus professi sunt, & ideò crudelia quæque pro Christo JESU tolerârunt, ac unâ voce simul, media inter tormenta exclamârunt: *Sumus Christiani, JESU Christi hostia sumus, JESU Christi victima sumus, etiamsi millies & iterum millies mori nos oporteat, pro JESU Christo libenter moriemur. Nad.* Et quid tu agis pro Christo JESU? Non opus est Tyranno, non opus est tormentis: Quàm levi de causa à Christo recedis.

Orate pro me ô sancti Martyres! constantiam in bene cœptis impetrate, quæcunque tandem mala, vitæ mortísque pericula immineant; sic fiet, ut & me in hora mortis meæ, à morte æterna liberet Dominus noster JESUS Christus. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, considerabo, quanta fuerit in JESU crucifixo cura & sollicitudo adimplendi, & consummandi omnia ad jota, & apicem, quæ de illo scripta erant in Prophetis.

Considera inerme latus crudeli perfossum cuspide, & renova sacro fonte, quem inde credo fluxisse. *S. Aug.*

℣. Quid Christus nos docuerit, tanta patiendo? ℟. Docuit nos pati, quia ipse factus est nobis patientiæ exemplar.

S. Michaël Archangelus, cœleſtis militiæ Princeps, Princeps exercitûs Domini, peculiarem inter amatores JESU crucifixi memoriam meretur. Siquidem ut canit Eccleſia, *explicat victor Crucem Michaël ſalutis ſignifer*: Idem ſicut crucifixo JESU cœleſtibus affectibus plenus adſtitit, ita gloriosè reſurgenti & ad cœlos aſcendenti, cum Angelorum Corona obviam proceſſit. Imò quando parebit in cœlo ſignum filii hominis, veniet tunc Michaël cum multitudine Angelorum, & ſeparabit malos de medio Juſtorum. *S. Bonav.* Fortaſſe & tu ſeparaberis?

Princeps Glorioſiſſime, S. Michaël Archangele! cui tradidit DEUS animas Sanctorum, ut perducat eas in paradiſum exultationis. Tu ô magne Princeps eſto memor noſtri, hìc & ubique ſemper precare pro nobis filium DEI.
Defende nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio. Et Tu cumprimis -- O piiſſima Virgo, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, conſiderabo, quanto ardore & affectu pietatis, ſpiritum ſuum ſanctiſſimum in manus Patris cœleſtis commendaverit JESUS crucifixus.

Vide immaculata veſtigia diris confixa clavis, & perfice greſſus meos in ſemitis tuis, & fac me odio habere vias iniquitatis. *S. Aug.*

Q. Quid docuit nos Chriſtus moriendo? ℟. Ut nos, qui vivimus, non nobis vivamus, ſed ipſi, qui pro nobis mortuus eſt.

S. Hieronymus magnus Ecclesiæ Doctor, cùm periculosis & fœdis cogitationibus tentaretur, saxo pectus verberabat, extremi judicii rigorem animo volvebat: sed quoniam hæc sæpiùs parùm proficiebant, nec ulla alia remedii spes affulgebat, in molestissima carnis tentatione ad sacra JESU crucifixi vulnera conversus, eadem tenerrimo pietatis affectu exosculabatur, & mox semper non tantùm certam ab hostibus palmam se retulisse, sed etiam angelicam puritatem se consecutum esse profitetur. *In vita*. Si eodem morbo laboras; à tanto Doctore cape remedium: probatum est.

DEUS, qui Beatum Hieronymum, Doctorem Maximum, Ecclesiæ tuæ dedisti, præsta, quæsumus, ut ejus suffragantibus meritis, quod ore simul & opere docuit, te adjuvante exercere valeamus. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JEsu, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vosque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, considerabo, quantâ JESUS crucifixus mentis tranquillitate, animi pace & serenitate, emiserit spiritum.

Vide pie Pater, Redemptoris supplicium, & redempti dimitte delictum. *S. Aug.*

Q. Quid adhuc nos Christus docuit moriendo?
R. Docuit nos sanctè mori.

S. Remigius Clodovæo Regi, unâ ex parte idola aurea & argentea, ex altera JESU crucifixi simulacrum, adorandum proposuit, eúmque, ut pro arbitratu suo alterutrum eligeret, ita est affatus: *Rex Clodovæe! aut hodie adora, quod olim succendisti, aut succende hodie, quod hucusque semper adorâsti*: Nec mora: Clodovæus idola abjecit, JESUM crucifixum elegit, & hunc, spectante totâ aulâ & populo, humi prostratus adoravit. *In vita.* Primus felicitatis gradus est, agnoscere errorem; alter, amplecti veritatem. Primum sine altero nihil omnino prodest, imò obest plurimùm: quia scienti & non facienti peccatum est illi.

S. Remigi! qui Rhemensem Ecclesiam septuaginta annis & amplius, summa cum laude administrâsti, & primus omnium, doctrinâ & miraculis Francos ad Christi fidem perduxisti, impetra nobis, ut qui gesta tua piè recolimus, in æterna beatitudine, tua societate gaudeamus. Et Tu cumprimis - - O &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, eliciam hoc mense quotidie aliquem actum virtutis erga JESUM crucifixum.

Te ô JESU crucifixe, oro & obtestor, ut divini sanguinis tui guttam vel unicam, exsolvendis meis debitis largiaris, quâ cœlesti tuæ justitiæ faciam satis. *V. Joanna de Cesped.*

Q. An Christo etiam à fœminis aliqua sit injuria illata? ℟. Nulla fœmina legitur ullam injuriam Christo patienti intulisse.

S. Claram de monte Falconis Paſſioni Dominicæ addictiſſimam ita Chriſtus eſt allocutus: *Ave filia mea! ſummam gaudiorum huc tibi affero; crucem hanc, quæ nullibi firmiùs figi poterit, amplexare: & cor tuum mihi præbe, ut in hac cruce moriaris.* Annuit illico Virgo ſancta: & ecce mirabilem eventum: Poſtquam Clara piiſſimâ morte obiit, in corde defunctæ, reperiebatur una ex parte, JESU crucifixi effigies; altera ex parte, clavi, lancea, ſpinea corona, aliáque Dominicæ Paſſionis inſtrumenta viſebantur. *In vita.* Vide, quid in corde tuo lateat? Fode parietem fili hominis! cordis intima ſcrutare.

Tuis ô S. Clara ſuffragantibus meritis, cordi meo tenerrimus erga Dominicam Paſſionem imprimatur affectus, & manſionem ſuam apud me faciat JESUS crucifixus. Et Tu cumprimis - - O piiſſima &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, actum fidei eliciam erga JESUM crucifixum v. g. *Credo in te fili DEI vivi, credo in te fili DEI Unigenite JESU Chriſte, credo in te verum DEUM & hominem, natum ex MARIA Virgine, paſſum ſub Pontio Pilato, Crucifixum, mortuum pro me in cruce, &c.*

Crucifixus reliquit exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus. *S. Laur. Juſt.*

Q. An Chriſtus à fœminis aliquid ſolatii acceperit? ℟. Quod ita: ſiquidem usque ad montem Calvariæ ſecutæ ſunt illum.

B. Liberatus M. Confratres suos ad tormenta omnia pro Christo fortiter toleranda, in ipso ultimo mortis confinio constitutus, ita hortabatur: *Moriamur dilectissimi fratres pro gloria JESU Christi, qui ipse pro salute nostra est crucifixus. Reddamus ei crucem pro cruce, plagas pro plagis, sanguinem pro sanguine: neque eum per viam crucis sequi pigeat, aut pudeat.* Tandem reliquis sociis jam ad cœlum præmissis, Liberatus mortuus est in cruce. *Sand.* Necdum adeò felicem ad superos transitum meruisti, quia necdum crucem amare, aut te crucifigere didicisti.

Annue, quæsumus Omnipotens DEUS, ut qui B. Liberati Martyris tui suffragiis nitimur, ejus quoque gloriosa gesta imitemur. Et Tu cumprimis -- O piissima &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, denuò eliciam actum fidei erga JESUM crucifixum. V. g. *Credo O JESU crucifixe! Credo te DEUM esse & Dominum nostrum. Credo te esse filium DEI Unigenitum natum ex MARIA Virgine, passum pro salute nostra, Crucifixum & in cruce mortuum, constitutum à Patre Judicem vivorum & mortuorum, &c.*

Dominus dirigat corda vestra in charitate DEI & patientia Christi. 2. *Thessal.* 3.

Q. Quæ sunt illæ, quæ Christum non deseruerunt usque in finem? R. Præter sanctissimam Virginem, S. Magdalena, Maria Jacobi, Salome aliæque.

S. Franciſcus, ardens inter homines Seraphinus, in contemplatione JESU crucifixi, non tantùm lacrymas, ſed etiam ſanguinem profundebat. Ut viva eſſet crucifixi imago, frequentiſſimè expanſis manibus orabat, JESU Chriſti vulnera, imò & crucem rubeam dextro humero impreſſam circumferebat: biennio integro quaſi à DEO derelictus, extremo mœrore tabeſcebat; Paſſio Domini erat illius lectio, illius contemplatio quotidiana. Crucifixum intuendo, adeò copioſas fundebat lacrymas, ut propè oculorum uſum amitteret: ſibi proindè moderari juſſus à Medico, repoſuit: *Malo oculis carere, quàm juxta votum meum, non intueri JESUM crucifixum. Barri.* Franciſcum imitare; nec gemere unquam cogêris: *Ut vidi, ut perii.*

S. Franciſce! amabiliſſime ſancte! impetra nobis, ut diſcamus omnia terrena deſpicere, & Seraphico erga JESUM crucifixum amore ſemper ardere. Et Tu cumprimis - - O &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, eliciam actum ſpei: V. g. Spero Domine JESU crucifixe, non in mea merita, ſed in miſericordiam tuam, & in miſerationes tuas magnas nimis, &c. Spero, quòd per S. Paſſionem tuam, quòd per S. Crucem & mortem tuam ſalvabis me, &c.

Induimini D. JESUM Chriſtum, *Rom.* 13.

Q. Quales Apoſtoli ſecuti fuerint Chriſtum usque ad Calvariæ montem? ℟. S. Joannes Evangeliſta: alii probabiliter hinc inde diſperſi, ſteterint à longè.

S. Placidus, magnus magni Patriarchæ Benedicti filius, crucifixo JESU devotissimus, in omnibus necessitatibus ac ærumnis suis confugere solebat ad pedes Crucifixi: unicum ejus solatium erat Crux Domini: Per hanc surdos fecit audire, cœcos videre, mutos loqui. Per hanc, infirmis sanitatem, mortuis vitam restituit. Tota Sicilia satis referre non potest, quæ & quanta per dilectum servum suum, mediante cruce, Dominus operari sit dignatus. *In vita.* Scilicet vera virtus nescit otiari: vanus virtutis est splendor, aut potiùs fumus, ubi opera desiderantur.

Subveni mihi S. Placide! illúdque mihi impetra, ut juxta tuum exemplum, omnis nostra oratio & operatio à JESU, & cum JESU crucifixo semper incipiat, & per illum cœpta, sanctè finiatur. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, eliciam denuò actum spei, sperando quod misericordissimus DEUS, per infinita JESU Christi merita, per pretiosum JESU Christi sanguinem & mortem, sit mihi daturus gratiam benè vivendi, sanctè moriendi, & vitam æternam consequendi.

Nihil damnationis est in iis, qui sunt in Christo JEsu, qui non secundum carnem ambulant. *Rom.* 8.

Q. An SS. Vulnus lateris potuerit nobis prodesse? ℞. Nec dubita. *Lyr.*

S. Bruno in solitudine sua, nihil nisi Crucifixum contemplabatur, nec aliud ore loqui nec aliud vitâ & moribus exprimere voluit, nisi JESUM crucifixum. Mirabatur S. Hugo Episcopus, quod Bruno cum sociis elegerit horridam in altissimis montibus eremum. Verùm opposuit Bruno: *Posset quidem nos fateor, locus ille sanè terribilis, à cœptis absterere, nisi omnia amore, Christi pro nobis crucifixi, & in cruce mortui perferre parati essemus. Ex vita.* Multos frequens & incauta conversatio perdidit, Brunonem solitudo salvavit.

Admirabilis Carthusianorum Patriarcha S. Bruno! doce me bene & solidè, æterna & novissima meditari, ut sic ex tepore meo excitatus, altissimas tuas virtutes studeam imitari. Et Tu cumprimis -- O piissima &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, eliciam actum amoris erga Crucifixum. V. g. *Amo te mi DEUS! Amo te mi JESU amore mei crucifixe. Amo te propter infinitam tuam bonitatem, propter immensam tuam charitatem & misericordiam infinitam. Amo te super omnia, &c.*

Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus. *Gal.* 2.

Q. Quomodo per vulnus lateris, quod post mortem primò accepit, Christus aliquid sit meritus? ℟. Quia in ipso statim conceptionis momento prævidit hanc plagam à milite infligendam, eámque pro Patris sui gloria, nostráque salute hilariter acceptavit. *Lyr.*

S. Heribertus Colonienſis Archiepiſcopus, ad fovendum in ſe, magíſque indies augendum JESU crucifixi amorem, ſæpiùs miſſam de S. Cruce legebat, ſub qua aliquando velut eſtaticus hærebat, totus omnino contemplationi JESU crucifixi immerſus. Morti proximus ad aram Crucifixi deportari voluit, ibique & animam ſuam, & commiſſum ſibi gregem, duabus integris noctibus, inter ardentiſſimas preces, JESU crucifixo commendavit. *Lambert.* De filiis ſemper cura eſt bono Patri, de oviculis ſuis bono Paſtori.

Commenda etiam animam meam JESU tuo crucifixo O S. Heriberte! ut illam aliquando poſt miſeram hanc vitam recipiat in æterna tabernacula. Et Tu cumprimis-- O &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, eliciam actum amoris: v. g. ***Amo te O JESU crucifixe! Domine, tu ſcis, quia amo te: & quidem propter te: Dominus meus & DEUS meus. DEUS meus & omnia. Amo te ex toto corde meo, ex tota anima mea, & ex amore tui, nunquàm ullo peccato offendam te. Nunquam amplius ô bone JESU, &c.***

Peccator iterum crucifigit Chriſtum, quia novo peccato novam dat cauſam crucis & mortis Chriſti: facit enim rurſum id, propter quod Chriſtus eſt crucifixus. *Corn. à Lap.*

Q. Cur majora Chriſti vulnera fuerint quinque? ℟ Quia nos eramus quinque ſenſuum vulneribus ſauciati, ſicque ſumus ſaluti perpetuæ per quinque plagas reſtituti. *Petr. Dam.*

S. Brigitta, decennis adhuc puella, post auditam de Passione Domini concionem, sequenti nocte JEsum cruci affixum, sanguine perfusum vidit, & de eadem Passione loquentem audivit: Hinc in JEsu crucifixi meditatione, tantum sentiebat compassionis affectum, ut de eo sine lacrymis nec cogitare quidem posset. Hierosolymam peregrinata, montem Calvariæ tantâ pietate invisit, ut inde vix amplius viva avelli posse crederetur: feriâ sextâ nonnisi amarissimas herbas totâ die in ore retinebat dicens, non decere, ut famula Christi quidquam grati illâ die degustâret, quâ Christus in cruce, felle est potatus. *In vita.* Vide ergo, quid te deceat.

Loquatur & mihi Dominus per tuam intercessionem O S. Brigitta, & sui amoris ignem in corde meo accendat. Et Tu, &c. -- O *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, eliciam hodie erga JEsum crucifixum, actum adorationis. V. g. *Adoro te verum DEUM & hominem ô JESU crucifixe. Adoro te ad Apostolorum pedes humiliatum. Adoro te proditum, captum, flagellatum, spinis coronatum, ad crucem condemnatum, inter latrones reputatum, &c.*

Inflammat ad amandum Passio illa, quam ipse Dom. JEsus pro nobis sustinuit. *Laur. Just.*

Q. An ex vulnere lateris dolorem senserit Christus? ℟. Etsi nullum dolorem senserit: quidquid tamen ignominiæ illatum est exanimi corpori Christi, illud in ipsum Christum redundabat.

S. Dionysius Atheniensis Areopagita licèt adhuc gentilis, eo die quo Christus fuit cruci affixus, cùm solem præter naturam defecisse animadverteret, exclamâsse fertur: *Aut DEUS natura patitur, aut mundi machina dissolvetur.* A Paulo Apostolo dein baptizatus, Atheniensi Ecclesiæ præficitur. Tandem in Gallia securi percutitur Vir sanctus, centenario major. In loco supplicii dicebat: *Ultimum verbum Domini mei in cruce sit & mihi ultimum in hâc luce: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Sicque feralem ictum forti animo excepit. *In vita.* Parum interest quâcunque ætate, loco aut tempore moriamur; si modò bene.

Per merita S. Dionysii, quem in passione sua virtute constantiæ roborâsti, doce nos ô bone JEsu pro amore tuo prospera mundi despicere, & nulla ejus adversa formidare. Et Tu &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, dicam hodie plenissimo affectu: *Benedico te, & benedico tibi Domine JESU in æternum benedicte. Benedico tibi specialiter in cruce, in qua summè blasphematus, despectus, maledictum factus es pro nobis. Benedictus sit Dominus meus JESUS crucifixus, benedictus sit & laudabilis, & superexaltatus in sæcula, &c.*

Amphora adepti sumus per Christi gratiam, quàm per diaboli amiseramus invidiam. *S. Leo.*

Q. Quot vulnera habuerit Christus per totum corpus? ℟. 5475. ita pluribus revelatum fuisse refert religiosissimus. *Th. de Kemp. lib. de Pass.*

S. Franciſcus Borgias, nihil ferè loquebatur, nihil cogitabat niſi JESUM crucifixum: Hujus amore corpus ſuum mirâ abſtinentiâ extenuabat, flagellis ita in ſe ſæviebat, ut humeri & lumbi putreſcere viderentur. Chriſtus JESUS crucifixus eundem pro quodam amico ſuo ægrotante & obſtinato orantem eſt allocutus, juſſitque ægrum adire & hortari, ut conſcientiam expiaret, ſed cum per ſacra Chriſti vulnera ægrum obteſtans, nihil proficeret, Chriſtus revulſa è cruce manu ſacroſanctum ſanguinem ſuum projecit in faciem obſtinati peccatoris. *Nieremberg.* Ita nempe impœnitens cor, theſaurizat ſibi iram in die iræ & revelationis juſti judicii DEI.

S. Franciſce Borgia, impetra nobis à JESU crucifixo, ut in terreni honoris contemptu te imitari, & æternæ gloriæ tuæ conſortes eſſe valeamus. Et Tu cumprimis -- O piiſſima Virgo, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, doloris actum intenſiſſimum eliciam de omnibus peccatis meis; retractabo, deteſtabor illa, & execrabor omni poſſibili affectu; ſanguinem & merita JESU crucifixi, vitam etiam meam pro peccatis offeram, &c.

Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? *Zach.*

Q. An manſerint glorioſa quinque vulnera in glorioſo corpore Chriſti reſurgentis? ℞. Quod ita.

B. Petrus de valle rosea sanctissimam egit vitam in magna austeritate, vir mundo verè Crucifixus; acerbissimos Christi dolores, quos passus erat in cruce, rememorabat jugiter, suóque cordi, ita impressos retinuit, ut omni prorsus risu jocísque abstinuerit, nec ullam admiserit, etsi aliàs honestam animi relaxationem. Unde etiam Petri pœnitentis nomen obtinuit: Tandem à rigore pœnitentiæ ad cœli gaudia est evocatus. *In vita.* O quoties rident, quos maximè oporteret deflere præterita, & futura timere.

Compatiar & ego JESU crucifixo O B. Petre, & quoniam peccando, dolores auxi JESU Christi pendentis in cruce, non alius mihi cibus, nisi panis dolorum. Et Tu cumprimis - - &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, dolebo iterum coram Crucifixo prostratus, de peccatis meis, quod Dominum meum & DEUM meum, Creatorem meum, Redemptorem meum, Sanctificatorem meum, maximum Benefactorem meum, Conservatorem meum instantaneum, optimum Patrem meum, &c. offenderim.

Multum pro nobis laboravit Salvator, ut accendamur amore ipsius, inspicientes vulnera Christi in cruce pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis. *Laur. Just.*

Q. Quare Christus hæc sanctissima quinque vulnera retinuerit? ℟. Ut relatas suas victorias semper per vulnera quasi per totidem linguas loqueretur. *Rupert.*

B. Cæcilius M. ferventissimè prædicabat Mauris crucem, & JEsum crucifixum: usum formandæ S. Crucis ubique docebat, amorem & cultum crucis, omnibus instillare satagebat: Ægrè id tulêre barbari. Quare homines efferi, sanctum Evangelii præconem, in odium crucis & JESU crucifixi extendunt: à summo vertice capitis, per collum & pectus, usque ad umbilicum, hastam unam intorquent: alteram verò à dextra ad lævam per pectus adigunt, ut vel si crucis signum efforment. Hæc inter, signo S. Crucis se muniens, plenus jubilo & exultatione migravit ad crucifixum JEsum, unicè sibi dilectum. *In vita.* O quot Martyres facit amor! utinam non sit alius, nisi amor JEsu crucifixi.

B. Cæcili! per ardentissimum illum tuum S. Crucis, & JESU crucifixi amorem te obsecro: impetra mihi, ut non aliud amem, nisi crucem, non gaudeam in alio nisi in Domino, non exultem nisi in DEO JEsu meo. Et Tu &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, commendabo JESU crucifixo spiritum meum, commendabo spiritum vocationis meæ, commendabo necessitates animæ meæ, Ecclesiæ, Religionis, &c.

Videmus JEsum propter Passionem mortis, gloriâ & honore coronatum. *Hebr.* 2.

Q. Qui post D. Virginem, primum venerati sint vulnera Christi? ℟. S Joannes, Joseph Arimathæus, Nicodemus, Magdalena, Maria Jacobi, deindè Apostoli.

S. Priſcæ tredecim annorum puellæ, mortem ipſam, niſi idolis ſacrificaret, comminatus eſt Claudius Imperator. Verùm illa contemptis Tyranni minis, palàm dicebat: *Tua, ô Imperator, idola, nil aliud ſunt, quàm dæmonia: ſolus JESUS Chriſtus verus eſt DEUS. Crucem Chriſti veneror, JESUM crucifixum adoro; Diis autem tuis nunquam in æternum ſacrificabo.* His commotus Claudius juſſit illam Leonibus objici, mitti in fornacem ignis &c. ubique ſancta Virgo, & ab igne, & à feris manſit intacta. Tandem miris modis excruciata, ſigno crucis ſe muniens, feralem gladii ictum maximo animo excepit. *In vita.* Diſce à puella JEſum diligere, rectè agere; & rectè agendo, nihil timere.

Ora, ora pro me S. Virgo & Martyr Chriſti glorioſiſſima! ut nullum unquam in corde meo idolum, mihi ſtatuat mundus, aut caro: ſed Amor, & DEUS cordis mei, ſit ſemper JESUS crucifixus. Et Tu cumprimis -- O &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, offeram mè hodie & totum quantum ſacrificabo, & in perpetuum holocauſtum immolabo JEſu crucifixo.

Redemiſti nos DEO in ſanguine tuo, & feciſti nos DEO noſtro Regnum, & regnabimus ſuper terram. *Apoc.* 5.

Q. Quale fuerit ultimum in Calvariæ monte prodigium? ℟. Quod ex *eadem conſubſtantiali origine, diviſis limitibus, ſanguis & aqua emanaverit.* S. Cypr.

S. Astion Monachus & Martyr, crucifixo JESU devotissimus, Martyrio jamjam afficiendus, Vigilantio Christiano obtulit sarcinulam Parentibus tradendam, in qua, ut ajebat, *charissima quæque totámq; suam substantiam* haberet reconditam. Adsunt igitur Parentes, Vigilantius adfert depositum: *Hoc* inquiens, *hoc est testamentum Astionis filii vestri: hæc mihi, ut vobis tradam, reliquit: Hoc Monachi & Martyris est depositum, & Legatum.* Sarcinulâ apertâ, cùm nihil omnino præter effigiem JESU crucifixi, & sacrosanctum Evangelium invenissent, ita commoti sunt Parentes, ut præmissâ Vigilantii instructione, sacrum susceperint baptismum. *Sand.* An & tibi in orbe nihil charius JESU crucifixô? O utinam!

Age precibus tuis S. Astion, ut quæ olim tibi, illa & mihi semper sint viventi & morienti charissima, nempe JESUS crucifixus, & Evangelica Jesu Christi doctrina. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, coram Crucifixo generosè omnes mundi vanitates, velut nugas nugarum contemnam, & omnibus præeligam JESUM crucifixum.

Tam copioso munere ipsa redemptio agitur, ut homo DEUM valere videatur. *Euseb. Emiss.*

Q. Quid nos discamus ex prodigiis, quæ contigerunt post mortem Christi? ℟. Multa & varia: *omnia enim, quæ sunt facta, nobis sunt doctrina.*

S. Therefia Mater Seraphica ex affidua JESU crucifixi contemplatione, fuæ duxit initia fanctitatis: Unicum illius folatium erat commorari in fanctiffimis vulneribus Salvatoris. Vidit fæpius JEfum fuum vel fpinis coronatum, vel cruci affixum. Ipfe cœleftis fponfus fanguinum, eandem in chariffimam fibi fponfam elegit, partim gemmis quaternis, partim grandi crucis clavo in arrham dato. A Seraphino, ignito divini amoris fpiculo transfixa, *aut pati, aut mori*, amore JESU Chrifti defiderabat. Sæpiùs minutiffimos quosque nævos coram JESU crucifixo lacrymis & gemitibus expiatura exclamabat: *Nunquam ampliùs! ô bone JESU! Nunquam ampliùs! O JESU! in æternum nunquam ampliùs! In vita.* O utinam! O utinam! O utinam nunquam amplius!

Ecce tibi cor meum offero, ô JEfu crucifixe! ardeat & illud per interceffionem S. Therefiæ, Seraphico amore, nihîlque in orbe terrarum diligat præter JESUM crucifixum. Et Tu &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, hodie verbis utar S. Therefiæ, & coram Crucifixo proponam *nunquam ampliùs* peccare.

Quid enim tam arguit malitiam noftram, quàm redemptionis noftræ modus & caufa. *Ven. Steph.*

Q. Quid difcamus ex primo miraculo, nempe ex velo templi fciffo, à fummo usque deorfum? ℟. Ut noftræ quoque confcientiæ velum fcindatur, & quibus debet, omnino apertum pateat.

S. Palæmon Abbas, vir ſeveritatis admirandæ, jamjam pranſurus, dum vidit in menſa Pachomii, herbas oleô modicô conditas, uberrimas in lacrymas ſolvebatur. Rogat tamen S. Pachomius, ut quidpiam ex paratis herbis deguſtaret; cum reposuit Palæmon: *Dominus meus JESUS, crucifixus eſt, & in cruce eſt mortuus, & ego nunc oleô paſcar? In vita.* Quid ad hæc illi, qui epulantur quotidiè ſplendidè, & ducunt in bonis dies ſuos.

Intercede pro me S. Palæmon, ut in me ſanctum mei odium accendatur, dum coram intueor, quòd amore, mei JEſus Chriſtus Filius DEI Unigenitus crucifigatur. Et Tu cumprimis -- O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JEſu, Regina Martyrum MARIA, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, offeram me JESU crucifixo, ad omnia dura, & aſpera toleranda, animô prorſus reſignatô.

Quanta iniquitas eſt, & quàm lugenda perverſitas, ut animam, quam Chriſtus ſuo ſanguine redemit, luxurioſus unusquisque pro unius momenti delectatione, diabolo vendat? verè nimiùm plangenda, & miſeranda conditio eſt: ubi citò præterit, quod delectat, & manet ſine fine, quod cruciat. *S. Aug.*

Q. Quid ex prodigioſo terræ motu diſcimus? R. Ut etiam nos non maneamus obſtinati in malo, ſed ad veram pœnitentiam moveamur.

S. Hedvvigis natalibus clara, magis tamen, vitæ innocentiâ, orationis, mortificationis & prophetiæ ſpiritu, & miraculis illuſtris, ſola de Paſſione Domini colloquia audiebat, omnia reliqua faſtidiebat. Jejuniis, vigiliis, veſtium aſperitate, carnem macerabat. Ut Chriſto patienti ſimilior eſſet, non tantùm ſe flagellis cædebat, ſed etiam à familiaribus fœminis cœdi volebat. Feriis ſextis ſolo pane & aquâ victitabat. Ipſe JESUS crucifixus, cùm ferventiùs ante iconem Domini oraret, Hedvvigi dextrâ manu retractâ è cruce benedictionem impertivit dixitque: *Exaudita eſt oratio tua, impetrabis ea, quæ petiiſti. Engelb.* Non eſt pretioſior in orbe Unio, quam virtus unita nobilitati.

Subveni mihi S. Hedvvigis, & præſertim in hora mortis, juva me miſerum, & felicem mihi mortem à JESU crucifixo impetra. quam unicè peto. Et Tu cumprimis -- O *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, actum ardentis deſiderii eliciam hodie, & cupiam diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.

Ex eo, quod homo cogitat, quòd filius DEI voluit pro ipſo redimendo talia ſuſtinere; recognoſcit, quantæ nobilitatis ſit anima ſua. *S. Bonav.*

Q. Cur monumenta aperta ſunt? ℟. Ut & corda noſtra, quæ aliquando plena ſunt putredine & oſſibus mortuorum, ſeu peccatorum, aperiantur.

S. Lucas in arte medica & pictoria versatus, deinde factus Evangelista, in corpore suo Crucis mortificationem, in corde JEsu crucifixi amorem jugiter circumferebat. Hinc sicut artificioso penicillo Marianas icones elaboravit, ita quoque JESUM cruci affixum quasi cœlesti scalpro efformavit, & ad nostra tempora transmisit; qualis hodiedum piè colitur Siroli propè Anconam. *Corn. Curt.* Quæ autem tua occupatio? Quid si & tu, non penicillo, sed moribus tuis & vitâ, exprimeres JESUM crucifixum?

Impetra mihi O S. Luca, ut JESUM crucifixum non jam in ænigmate expressum, sed de facie ad faciem in templo gloriæ cœlestis, aliquando liceat intueri. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, &c. *fol 1.*

Ad quod impetrandum, sicut desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderabo hodie ad DEum fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Domini.

1Quia homo illum pretiosissimum sanguinem pro anima sua dealbanda effusum esse agnoscit, dedignatur se vilitatibus vitiorum inquinare. *S. Bon.*

Q. Cur corpora sanctorum, qui dormierunt, surrexerunt? ℞. Ut & illi, qui in impietate sua occaluerunt, resurgant & deserant sua sepulchra, & ad novam vitam animentur.

S. Petrus de Alcantara ex ſanctiſſimi Patris Franciſci familia, in cella ſua anguſtiſſima, in qua erecto corpore nunquam ſtare poterat, continuò hærebat ad pedes JESU crucifixi: noctu præterea, cùm per 40. annos nunquam ſibi ultra mediæ horæ ſpatium, ſomnum indulſerit, aſſiduè diſtentis in crucis formam brachiis coram Crucifixo, manantibus ubertim lacrymis orabat, & quidem tantâ teneritudine, ut in hoc ſitu prodigiosè extra ſe raperetur, & tralucidis quibusdam nubeculis, quaſi coronatus ſplendeſceret. *Hiſt. Ord.* Etiam in tenebris latere non poteſt ſplendor virtutis.

Adhæream & ego, ô S. Petre de Alcantara, Domino meo JESU crucifixo; neque in vita, neque tunc, dum oculos in ſomnum mortis claudere oportebit, à JESU crucifixo recedam. Et Tu cumprimis - - O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, gratias agam DEO pro tam copioſo ſanguine, mei causâ è SS. Vulneribus effuſo.

Circumire poſſum Domine cœlum & terram, mare & aridam, & nusquam Te inveniam niſi in cruce: Ibi dormis, ibi paſcis, ibi cubas in meridie. *S. Bern.*

Q. Quis ſacroſanctum Chriſti corpus depoſuerit de cruce? ℟. Joſephus ab Arimathæa, & Nicodemus.

B. Philippo de Aqueriis Gallo ex Ordine Minorum, in ipsa Dominicæ Passionis contemplatione, JESUS crucifixus comparuit, copioso sanguine perfusus; atque acerbissimum dolorem, Philippi manibus, pedibus & lateri impressit. Insuper JESUS crucifixus fidelem servum suum probavit ampliùs, per scatentia vermibus vulnera & ulcera, quæ quidem tanta erant, ut integra manus imponi posset. Hos inter dolores, per 30. annos, nulla prorsus ab illo querimonia fuit audita, donec anno vitæ suæ ferè centesimo migraverit ad Dominum: Ulcera verò illa olim adeò malè olentia, illico suavissimam fragrantiam exspirabant. *Tossinian.* Quàm speciosa sæpe sunt coram DEO, quæ mundo sunt exosa.

Ora pro me B. Philippe, ut omnes dolores & miserias patienti animo feram, amore JESU crucifixi. Ora, ut dum in sepulchro vermibus scatebit corpus meum, odore cœlesti pascat animam meam DEUS. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, gratias agam Christo crucifixo pro tot tantísque doloribus, mei causâ toleratis.

Quanta speranda vel timenda potestas est judicantis, si apparuit tanta morientis. *S. Aug.*

Q. Quis fuit Josephus? ℟. *Discipulus erat JEsu, qui & ipse erat exspectans regnum DEI.*

S. Urſula Virgo Regia, ad regium invitata conjugium, non alium ſibi elegit ſponſum niſi JESUM crucifixum, cujus effigiem ab ineunte ætate ſemper in manibus verſabat. In peregrinatione Romana, generoſæ inſtar Ducis, vexillum crucis ubique Virgineis Legionibus ſuis præferebat: Hôc animabat ſuas Virgines, ad moleſtias itineris hilariter ferendas. Româ redux, cùm Hunni in Colonienſi ripa, numeroſum Virginum exercitum circumvenirent; Urſula erecto crucis labaro Virgines ſuas ad conſtantiam hortabatur, donec tandem telis confixa, cum glorioſo ſanctarum Virginum comitatu, purpurata Chriſti ſponſa cœlum ſit ingreſſa. *Bonfin.* Tanta pro Chriſto ferre potuerunt tot ſanctæ Virgines, & tu non poteris?

O fidelis tuorum clientum Patrona S. Urſula aſſiſte mihi, vósque omnes ſanctæ Virgines & Martyres aſſiſtite, vallate & protegite me morientem. Singulæ pro me, vel unicam veſtri ſanguinis guttam DEO offerte, ut ſalvet animam meam. Et Tu cumprimis -- &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, coram Crucifixo humiliationis actum eliciam ob tantam erga JESUM ingratitudinem.

Commendat autem DEUS charitatem ſuam in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. *Rom.* 5.

Q. Quis fuerit Nicodemus? ℟. *Erat homo ex Phariſæis, Princeps Judæorum.* Joan. 3.

B. Anthenodus de Gotha, ex aſſidua Dominicæ Paſſionis meditatione JESU crucifixo prorſus familiaris, ſupplex aliquando rogabat JEſum, ut acerbiſſimos illos dolores manifeſtaret, quos ſenſerat cruci affixus. Preces exaudivit Dominus, atque adeò vivis coloribus ſanctum crucifixionis repræſentabat myſterium, ut ex intimo vehementiſſimæ compaſſionis affectu graviſſimum in corde vulnus acceperit. *Sand.* Quos DEUS amat, hos non vult vivere ſine vulnere.

Per illum ego tuum, erga JESUM amorem, per illos tuos, quos in corde vulnerato ſenſiſti dolores, te rogo B. Anthenode! memento mei vel maximè tunc, dum dolores mortis circumdabunt me. Et Tu cumprimis - - O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrnm MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, dicam coram Crucifixo: *Confuſio cooperuit faciem meam, quia repleta eſt malis anima mea; Averte oculos tuos Domine: quia indignus ſum, in quem reſpicias, &c.*

Verabilis Paſſionis Chriſti continua & devota meditatio, mentem tuam ab hujus ſæculi mundanis, & carnalibus concupiſcentiis ſequeſtrabit. *S. Bonav.*

Q. Quare Nicodemus dicitur *Princeps Judæorum*? ℟ Quia erat vir inter Judæos primarius, & è Magiſtratu.

S. Joannes Bonus in juventute sua ita dissolutus, ut nihil in eo boni, præter nomen: ex morbo tamen in meliorem immutatus, semper deinde peculiariter JESU crucifixo & Dominicæ Passionis mysteriis fuit devotus; huic sæpius crucifixus Salvator spectabilem se stitit, suáque sanctissima vulnera ei præbuit osculanda; quas inter animi delitias & solatia, prope ab omnibus sensibus fiebat alienus. *Sand.* O quàm multis necessarius foret morbus, adeò salutaris.

Per intercessionem S. Joannis converte nos ad te DEUS salutaris noster, & misericordias Domini cantabimus in æternum. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, coram crucifixo JESU, plenus salutari timore dicam: Quo fugiam, ô Domine! à facie iræ tuæ? Domine, nè in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. O Domine JESU! nè intres in judicium cum servo tuo.

Passio Christi quid cogitandum, quid loquendum sit, quid respondendum, quid, vel qualiter agendum sit, tibi veraciter indicabit. *S. Bonav.*

Q. Quomodo Christus fuerit depositus de cruce? ℟. Aliqui putant factum id esse appositis scalis, ita ut crux erecta, & in sublimi maneret, alii contrarium sentiunt.

S. Maria Salome, Mater ſancta, ſanctorum filiorum Joannis & Jacobi, ſingularis conſtantiæ & pietatis matrona, non tantùm reliquas inter filias Jeruſalem, comitabatur Chriſtum usque ad Calvariæ montem, ſed etiam Diſcipulis fugientibus, ex adverſo crucis ſtabat, & pientiſſimos inter, ſanctæ compaſſionis & amoris affectus, audiebat loquentem, & intuebatur in cruce morientem JESUM, ejúsque ſacroſanctum corpus, pretioſis aromatibus conditum, præparavit in ſepulturam. *Sand.* Solida virtus, malis aliorum exemplis non movetur, Non deſere JESUM, etſi ab aliis deſeratur: ſed ſequere conſtanter, etiam usque ad mortem

Ora pro me S. Maria Salome! ut tua ſanctiſſima ſequar veſtigia & ſæpius piè conſiderem JESUM meum, amore mei in cruce morientem. Et Tu cumprimis - - O piiſſima Virgo, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, deſiderabo ardentiſſimè, ut etiam amore Domini mei JESU Chriſti mori poſſim: *O utinam mihi O JESU, ſimili detur morte mori!*

Habemus fiduciam in introitu ſanctorum in ſanguine Chriſti, quam initiavit nobis víam novam, *Hebr.* 10.

Q. Quare probabilior eſt ſententia altera? ℟. Quia crux aliunde debuit auferri propter dignitatem imminentis Sabbathi, ſimúlque fuit facilius, corpus ſolvere ex cruce humi depoſita.

S. Joannes Capiſtranus, vir ab innocentia vitæ, zelo fidei Catholicæ, & ardentiſſimo erga JESUM crucifixum amore admirandus. Jam ſeptuagenarius contra Turcas Bellgradum oppugnantes, multa Germanorum, Hungarorum & Polonorum millia hortatu ſuo collegit, & per ſagittam ſub ipſo ſacrificio cœlitus demiſſam (cui hæc verba aureis erant inſcripta litteris: *Eſto conſtans Joannes!*) in ſancto propoſito confirmatus eſt. Quare Crucifixo inſtructus, Chriſtianorum exercitum ad pugnam animavit, & feliciſſimè inimicos JESU crucifixi profligavit. *Henr. Sedul.* Pietas nempe erga JESUM crucifixum, ad omnia utilis.

O utinam & mihi in agone aſſiſteres S. Joannes! & contra hoſtium infernalium exercitum, tuô patrociniô tuum defenderes clientem. Et Tu cumprimis -- O &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, magna cum *fiducia* hodie alloquar JESUM crucifixum: *DEUS meus auxiliator meus, in te confido, non erubeſcam. Si conſurgant adverſum me caſtra, non timebit cor meum: quia Tu, ô bone JESU! es protector meus, &c.*

Omnia tormenta & ſupplicia, mihi ſunt oculorum deliciæ, & fuſus pro Chriſto JESU ſanguis, divinum quoddam mihi videtur lavacrum. *S. Trophim.*

Q. Cujus inſtinctu, Nicodemus & Joſephus depoſuerunt Chriſti corpus de cruce? ℟. DEI inſtinctu, & precibus B. Virginis excitati. *Lyr.*

B. Alphonsus ab Orosco, ut JESU crucifixi memoriam quotidianâ veneratione recoleret, diebus singulis Officium de S. Cruce devotè recitabat: adeò placuit hoc piè servitutis obsequium, ut illud JESUS Christus non tantùm uberrimis compensaret solatiis, sed sæpius etiam servo suo Alphonso, se in cruce spectandum offerret, atque plurima Cœli arcana revelaret. Hinc vir sanctus, ùt vixit, ita mortuus est crucifixo JESU devotissimus. *In vita.* Ah quàm bonus est DEUS! qui nullum opus bonum, quantumvis videatur exiguum, sine prœmio relinquit.

Per tua merita, ô B. Alphonse! soletur me in amaritudine mortis meæ JESUS crucifixus, & ostendat mihi faciem suam misericors & miserator Dominus. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, aspirabo hodie ad JESUM meum: *Ah bone JESU! Ah jube me Domine venire ad Te! Ah quando erit tandem beata illa hora, quâ mihi annuas & dicas: Veni de Libano, veni!*

Adhæreat anima mea post te, quia tota virtus ejus pendet ex te; Ad passionis tuæ gloriosa insignia, in quibus salutem meam operatus es, totum me inclino. *S. Bern.*

Q. An Josephus & Nicodemus fuerint viri virtute & sanctitate conspicui? ℟. Nullum est dubium; patet id ex Martyrologio & Brev. Astur.

S. Helena de Utino, meditationibus Passionis Dominicæ, atque crucifixo JESU adeò erat addicta, ut etiam post mortem in feretro exposita, dum pectori ejus, ùt fieri solet, crux imponeretur, ipsa spectantibus omnibus caput elevaverit, quasi Crucifixum exosculatura; nec unquam amplius in tumbam reclinârit; Imò hodiedum in eodem situ corporis spectatur. *In vita.* Quid non facit pia consuetudo?

Tuum imploro auxilium ô B. Helena! Impetra mihi, ut non aliter exspirem nisi in dulcissimo amore JESU crucifixi. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, gaudebo & exultabo in JESU meo crucifixo, dicámque: *Cor meum & caro mea exultaverunt in DEUM vivum. Rapior ô bone JESU! rapior extra me, ut veniam ad Te. Angustia cordis non capiunt torrentem voluptatis, quo tui recordatio perfundit me, &c.*

Quis, quæso, non exultet & gaudeat, cum cernit se ipsum per hanc beatissimam Passionem à damnatione æterna liberatum, à culpæ ignominia, à potestate diabolica absolutum. *S. Bonav.*

Q. Quis dedit facultatem deponendi de cruce corpus Christi? ℟. Pilatus.

SS. Simeonem, & Judam Thadæum, JESU Christi Apostolos, hodie sancta veneratur Ecclesia. Ille Ægypto, hic Mesopotamiæ & Persidi prædicavit JESUM crucifixum. S. Thadæus Abagaro Regi imaginem JESU Christi, quem perfida gens Judæorum, cruci affixerant, obtulit, simúlque non tantùm cubile Regis, Cœlesti splendore, sed etiam mentem illius, fidei lumine ita illustravit, ut cum pluribus aulæ suæ ministris salvificam Christi fidem amplecteretur, & quem prius contempserat, adoraret JESUM crucifixum. *In vita.* Res mira! Quod in aula aut regno, nec efficere potest vel Apostolica prædicatio, vel miraculum, id momento unico, efficit Regis aut Principis exemplum.

O Sancti Mesopotamiæ & Persarum Apostoli orate pro me! ut præsertim in tenebris, & in umbra mortis sedenti, Lux illa, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, præluceat, ad vitam æternam. Et Tu &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, contemptâ omni mundi gloriâ, gloriabor in solo JESU crucifixo dicámque: *Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini mei JESU Christi. In hoc glorior: quod tu DEUS, sis DEUS meus, Dominus meus omne bonum meum, &c.*

Omnis consolatio & illuminatio mentis, in cruce, & per crucem. S. *Aug.*

Q. Quis autem petiit à Pilato facultatem? ℟. Josephus ab Arimathia *accessit audacter ad Pilatum, & petiit corpus JESU.*

XXIX. OC-

B. Irmgardis dum Romæ ante Christi Domini in cruce exspirantis simulacrum orabat, repentè has voces audivit: *Dilecta filia Irmgardis! id à te peto, ut postquam Coloniam rediveris, imaginem meam huic similem salutes.* Parituram se libenter, reposuit pia Virgo: Et ecce, vidit sibi à Crucifixo cœlestem impertiri benedictionem. Reversa dein Coloniam, præstitit, quod Christus mandavit: audivitque Christum, inclinato capite ita loquentem: *Tibi, filia mea electa! gratias ago. Lyr.* Tale profectò alloquium Christi crucifixi, non merentur vanæ filiæ hujus sæculi.

O bone JESU! sic dilexisti me, ut pro me dares totum te: per intercessionem B. Irmgardis benedicat ergo mihi hodie dextera tua, & in numerum electorum tuorum aliquando recipe me. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, hodie coram crucifixo JESU dicam plenissimo affectu: *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula. Benedicite Angeli Domini Domino, &c.*

Ex quo Domini nostri JESU Christi gratiam per servum ejus Franciscum cognovi, nulla mihi infirmitas dura visa fuit, nulla pœna molesta, nulla pœnitentia onerosa *S. Clara.*

Q. An Nicodemus & Josephus propriis manibus Christum de cruce deposuerint? ℟. Quod ita.

B. Bonaventura Patavinus Cardinalis, ex Ordine Eremit. S. Augustini, zelo & amore plenus erga JESUM crucifixum, Publicè in concione sancto igne æstuans, Principis Patavienſis impietatem his verbis redarguebat: *O maleſane Princeps! Crucem JESU Christi rutilantem ſpolias, ut equos tuos exornes; Panis Angelorum, canibus non eſt mittendus.* Odio exarſit Princeps: proinde etiam ab ejusdem ſatellitibus ſagittâ peſtiferâ fuit necatus. *Sand.* Amor JESU Christi, omnem foras pellit timorem.

Ora pro me B. Bonaventura, ut præſertim in morte mea propitius ſit mihi JESUS crucifixus, pro cujus honore tu adeò ferventer peroraſti, & mori promeruiſti. Et Tu &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, cor meum in laudes effundam JESU crucifixi, & in ejus honorem dicam: *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelſis. Laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus, &c.*

Patientis Christi memoria ſit continuum viaticum tuum, quia per hoc, & non niſi per hoc, & tu manebis in Christo, & Christus in te, & in futura vita plenum erit gaudium. *S. Anſ.*

Q. Quomodo factum ſit, ut viri dignitate præcellentes, corpus hominis ad patibulum damnati, depoſuerint: quòd revera erat hactenus inauditum? ℟. Sanctitatem & Majeſtatem Crucifixi conſiderantes, voluerunt hunc honorem corpori Christi deferre.

S. Wolffgangus nobilissimo genere ortus, dein Episcopus Ratisbonensis cùm non posset, ùt volebat, proprio etiam sanguine suis ovibus prodesse, omnes omnino partes Boni Pastoris studuit adimplere. Contemplabatur sæpius nudum in crucis ligno morientem JESUM: Hinc morti vicinus, se rebus exspoliavit omnibus, eásque pauperibus distribuit, sicque ante aram humi prostratus, cum pauperrimo JESU crucifixo felicem suum spiritum in manus æterni Patris commendavit. *In vita.* Nunc fac, quæ moriens facta fuisse voles.

Commenda me S. Wolffgange! commenda me Crucifixo tuo JESU & MARIÆ, ad quos suspirans, felicissimè exspirâsti. Et Tu &c *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, hodie Pactum faciam cum JESU crucifixo: sic ergo paciscor tecum ô mi JESU, qui es spes unica & fiducia mea, Pax & consolatio mea, qui es unica vita mea, & anima animæ meæ, qui es DEUS cordis mei, Dominus meus & DEUS meus: DEUS meus & omnia: sic inquam paciscor tecum, ut minimus quiscunque motus internus & externus animæ, cordis aut corporis mei, omnis sive dormientis, sive vigilantis aspiratio & respiratio, omnis motus creaturarum omnium, sint signa, quibus obstringam me, quòd sincerè amem te.

Si fueris pauper, indeficienti thesauro Passio Christi te ditabit. *S. Bonav.*

Q. Quomodo Christi corpus deinde habitum fuerit? ℞. Honestè & decorè juxta ritum illius temporis.

I. NO-

HOdie sancta Mater Ecclesia Festum Sanctorum omnium celebrat, qui licet olim etiam peregrini fuerint & advenæ in terris: nunc autem cives facti sunt, & domestici DEI, hæredes quidem cœli, cohæredes autem Christi. Horum nimirum gloriosa hodie memoria agitur, qui calicem Domini biberunt, & amici DEI facti sunt in sanguine agni, hoc est, per JESUM crucifixum, qui est Sanctus Sanctorum omnium, in quo uno omnium vita est, & salus, & redemptio nostra, qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit. Disce & tu hodie, quam viam Sancti tenuerint; vide, ne aberres. Alterutrum est necessarium: vel eris in æternum inter Sanctos in cœlo, vel inter damnatos in inferno.

Omnes Sancti & Sanctæ DEI! offerte pro me vestra merita, vestras preces, vestrum sanguinem, vestram vitam & mortem pro me offerte! omnes & singulos veneror & invoco, ut moriens omnes habeam Protectores & Patronos. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, quamprimùm evigilavero, JESU crucifixi, qui est Rex & Corona Sanctorum omnium, piè recordabor.

Hic sanguis Christi efficit, ut imago in nobis Divina resplendeat. *S. Chrys.*

Q. Quo ritu cadavera curari solebant illo tempore in Palæstina? ℟. Primò oculos occludebant defuncto.

HOdie piam & salutarem Fidelium Defunctorum commemorationem facit Ecclesia Catholica, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis. Pro iisdem hodie funduntur ubique preces & suffragia, ardentia in cœlum mittuntur suspiria, offertur in templis omnibus hostia salutaris, ut animas fidelium defunctorum solvat à vinculis peccatorum Salvator mundi JESUS Christus, qui easdem in ligno crucis pretioso suo sanguine redemit. Descende hodie ad purgatorium, & vide, quàm leves ob causas opinione nostrâ, & quàm gravia supplicia, ibidem animæ patiantur.

O vos Sanctæ, electæ & DEO dilectæ animæ, quæ necdum satis noxas vestras expiâstis, vobis ego precor, ut à vinculis peccatorum vestrorum absolvat vos JESUS Christus, & per pretiosum suum sanguinem ab omni macula mundatas deducat vos ad refrigerium sempiternum: Vos verò etiam subvenite mihi præsertim in hora mortis meæ, & pro me Divinam misericordiam implorate. Et Tu cumprimis - - O &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, si fieri possit, hodie pro animabus in purgatorio sacrum audiam, vel legam in sacello aut ara JESU crucifixo dedicata.

Clavis paradisi, crux Christi aperuit cœlum. *S. Chrys.*

Q. Quid secundo loco faciebant? ℟ Maxillam inferiorem ne hiaret, stringebant tenui fasciâ ad verticem alligatâ.

S. Geraldus ante crucem Domini provolutus orabat: & illico ſpectante toto populo, crucifixus JESUS de cruce deſcendens, caput viri ſancti blandâ levique manu demulcebat dicens: *Confortare fili in Domino & in potentia virtutis ejus.* Anxius primùm hærebat Geraldus, & quid viſio hæc intenderet, enixè cœpit DEUM deprecari; Demum intellexit voluntatem DEI eſſe, ut terram ſanctam, quam Chriſtus ſuo ſanguine conſecrâſſet, ſepulchrúmque Chriſti in Jeruſalem viſitaret: Longinquum igitur iter, grandes licèt inter difficultates piè ſuſcepit, & feliciter confecit. Inde redux in Abbatis ſui defuncti munus ſucceſſit, & ſanctiſſimæ ſuæ in terris peregrinationis curſum feliciter conſummavit. *Sand.* Et tu amari à JESU deſideras: Et tamen tam parùm, tam frigidè amas JEſum.

Fiat tuâ interceſſione O S. Geralde, ut & ego abſque mora divinam in omnibus exequar, & adimpleam voluntatem. Et Tu cumprimis -- O piiſſima Virgo, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, orationem meam perſolvam hodie, non aliter niſi flexis genibus ad imaginem JEſu crucifixi.

Adeò proficua eſt Chriſti patientis contemplatio, ut ex ea etiam profecerint, qui eum contemplabantur ut hoſtes. *Salmer.*

Q. An id officii genus etiam Chriſto præſtitum ſit? ℟. Quod ita: conſtat id etiam ex revelatione facta. *S. Brigittæ.*

IV. NO-

S. Carolus Barromæus Cardinalis, omnibus numeris absoluta omnium Episcoporum Idea, Pauperum Pater & Mater, verè Pastor bonus, qui oves suas pascebat verbô & exemplô; nihil in orbe sæpius cogitabat, nil loquebatur, aut prædicabat nisi JESUM crucifixum. Statuebat, ut tertia concionis pars ab omnibus fieret de JESU crucifixo. Imò de eodem, ut singulis feriis sextis fieret dictio aliqua in templo principali. Demum amori JESU crucifixi immortuus est. *In vita.* Quantus in cœlo eris, si Carolum, amando JESUM imiteris.

Sancte mi Carole! mihi de morte mea sollicito, benignus assiste, meque etiam inter illos repone, quos DEO es lucratus. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, si patiendum quid occurrat hodie, gaudebo, me assimilari saltem aliquâ ratione JESU crucifixo.

Si igitur Christus patiens in cruce, efficax fuit ad salutem eorum, qui eum spectavêre crucifigentes, quantò magis eorum, qui amantes & compatientes. *Salm.*

Q. Quis hoc obsequium Christo exhibuerit? ℞. Beatissima Virgo. Ita *Joan. Chiffletius*; quia à Matribus olim solebat id filiis exhiberi.

S. Emericus, sancti Stephani Ungariæ Regis filius, JESU & MARIÆ amantissimus, sæpius noctes flexis ante Crucifixum genibus, psallendo transigebat: Ex assidua Crucifixi contemplatione, oculi ferè semper erant pleni lacrymis. Corpus Virgineum jejuniis, & mortificationibus atterebat, pretiosas vestes non admittebat, sed his illico altaria ornabat: judicabat non esse conveniens, ut Regis terreni filius molliter tractaretur, & splendido uteretur vestimento, dum Regis immortalis & æterni filius, plenus vulneribus & omnino nudus pendet in cruce. Sanctus hic Princeps, cùm à DEO scire cuperet, quodnam gratissimum opus facere posset, cœlesti lumine circumfusus vocem audivit: *Præclara res est Virginitas.* Hanc etiam cum sponsa Regia immaculatam servavit. *In vita.* Quantò castior, tantò charior eris JESU crucifixo.

S. Emerice! cum S. Stephano Patre, & cum S. Henrico avunculo tuo ora pro me, ut semper agam id, quod gratissimum est crucifixo JESU. Et Tu cumprimis - - O &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, omnia faciam & offeram Patri æterno, aut ab eodem petam, non aliter nisi *per JESUM Christum*, & quidem, *Crucifixum.*

Nullum exercitium in extremis utilius esse potest, quàm ut quis Christi exemplô, seipsum ex integro divinæ voluntati resignet. *Jo. Thau.*

Q. Quid tertio loco fiebat? ℟. Lavabatur corpus defuncti, uti meminit S. Luc. *Act.* 9.

VI. NO-

S. Jolentis Virgo, cùm sæpiùs piâ contemplatione ruminaret vitam & mortem Christi, agnovit tandem, quàm longè alia dilexerit Christus quàm mundus: cùm pauperrimus nasci, & nudus mori voluerit in cruce. Hinc *regnum mundi & omnem ornatum sæculi contempsit*, & sponsi terreni locò, divinum elegit sponsum JESUM crucifixum, à quo etiam per triennalem, licet irritum conatum Matris, avelli non amplius potuit. *In vita.* Firmiter nempè iis insistendum est, quæ sanctè & laudabiliter sunt cœpta. Nec propter humana consilia, deserenda sunt divina.

O S. Jolentis, doce me amare, quæ verè amanda sunt, & contemnere terrena & mundana omnia, utpote, quæ verè nihili sunt facienda. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, & diei mortis meæ, & Vos, ô beatæ in cœlis animæ, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, excitabo me sæpiùs ad amorem & memoriam Crucifixi.

Fieri nequit quin is, qui ejusmodi vera & perfecta resignatione cum sancta erga DEUM fiducia ex hac luce discedit, confestim ad cœlestia regna pertingat. *Thauler.*

Q. Quis laverit corpus Christi? ℟. Josephus & Nicodemus. Ita *S. Chrysost. & Epiph.*

B. Svviandoslaus, aliàs Svvendoslaus quàm sæpissimè nudis genibus, mediâ etiam hyeme, pendentem in cruce Salvatorem adorabat: Perpetuum silentium, in honorem, diu silentis in cruce Christi servabat. Imago Crucifixi eidem locuta fuisse fertur: Quare etiam tanto erga Crucifixum amore æstuabat, ut videretur solùm orbi datus esse ad promovendum cultum & venerationem JESU crucifixi. *Acta SS.* O utinam multi tales orbi nascantur!

Meritis & precibus tuis impetra mihi B. Svvendoslae, continuum in amore JESU crucifixi augmentum; & sufficit: nil aliud peto. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, affectuosum crucifixi simulacrum, ante oculos defixum habebo, sive studeam, sive scribam, sive orem.

Sicut nihil omnino pœnæ, nihil ignis purgatorii, in DEUM cadere potest, ita nec in hominem, qui per voluntatis conformitatem amorémque DEO unitus est: dicens assiduè: Paratum cor meum DEUS, paratum cor meum. *Thauler.*

Q. An non etiam alii, præter Josephum & Nicodemum laverint exanime corpus Christi? ℟. S. Germanus & Metaphrastes scribunt B. Virginem lacrymis vulnera Christi mundâsse: nolim tamen negare, alios etiam lavisse corpus Christi, ut sepulturæ mandaretur.

S. Godricus Eremita continuò lacrymis pœnitentiæ, JEſu crucifixi pedes rigabat, veniam delictorum multis precibus poſtulabat: ſemper tamen anxius hærebat: Demum ei ſanctiſſima DEI Mater MARIA comparuit, dicens: *Mater JESU Chriſti ſum*: per me gratiam ipſius impetrabis. Confugit ergo plenis fiduciâ precibus ad MARIAM, & per eandem, quod voluit, à JESU crucifixo impetravit. *In vita.* Facilè tuæ petitioni annuet filius, ſi tanta Mater pro te peroret.

S. Godrice tuo me commendo patrocinio, tu pro me intercede apud Matrem JESU, ut illa, mea apud filium ſit Patrona. Et Tu cumprimis - - O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, aut crucem aut crucifixi effigiem, collo appenſam geſtabo ad memoriam ejusdem faciliùs retinendam.

Gloriatio ſanè Eccleſiæ Catholicæ eſt omnis Chriſti actio, gloriatio verò gloriationum, Crux eſt Domini noſtri JESU Chriſti. *S. Cyrill.*

Q. Quorſum devenit concretus ille ſanguis ex ablutione corporis Chriſti collectus? ℟. Servatus eſt interea ab aliquo illorum, qui abluebat corpus Chriſti: quod conjicere licet, quia talem concretum ſanguinem Balduinus Rex Jeroſolymorum, ad Flandros miſit per Abbatem S. Bertini.

B. Helena Hungarica, quæ Divæ Margarethæ Hungariæ Regis filiæ erat Magistra, dum vehementissimâ Dominicæ Passionis contemplatione animum exercebat, magno numinis favore obtinuit, ut iisdem, quibus JESUS Christus in cruce, vulneribus fuerit insignita. *Bzov.* Plagæ & vulnera sunt divini indicia amoris. Parens, quem amat, filium castigat.

Sacra quinque vulnera tua, O B. Helena! clament pro me, & perorent apud JESUM crucifixum, ut in hora mortis meæ non moriar, sed vivam. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, & diei mortis meæ, & Vos ô beatæ in cœlis animæ, quondam JESU crucifixo peculiariter devotæ, Vos ego, per ardentissimum vestrum erga JESUM crucifixum amorem oro, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, JESUM crucifixum, aliquando intra diem nonnihil subsistendo contemplabor, vel actus breves, & ferventes, quasi ad unicum in mundo solatium eliciam.

Vel tu crucifixus sis cum JESU, vel ipse Crucifixus in te sit, necesse est. *Lyr.*

Q. Quid fieri solebat post lotionem corporis exanimati? ℟. Sequebatur post lotionem unctio seu conditura.

S. Marianum impia latronum turba rebus ſpoliavit omnibus, ita, ut nec veſtimentorum aliquid, præter pallium eſſet ſuper. Inſuper pecora omnia, quibus cuſtodiendis à ſuo Abbate deſtinatus erat, amiſit. Memor tamen patientis Chriſti, revertentes circa ſolis occaſum prædones benignè ſuſcepit, pedes eorum lavit, cibos & alimenta, ùt poterat, ſubminiſtravit, eísque tantam exhibuit benevolentiam, ut ſingulos facti ſui pœniteret, imò unus ex iisdem ad fidem ſit converſus. *Acta SS.* Etiam feræ miteſcunt. Nec ſtantes, à lapſu ſe debent ſecuros reputare, nec lapſi de emendatione deſperare.

Juva me precibus tuis S. Mariane, ne difficile illud æternitatis iter ingreſſurus, incidam in latrones, qui deprædari deſiderant animam meam. Et Tu cumprimis - - O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, icones Crucifixi ſeu pictas, ſeu ſculptas, aliquando, ne ſemper ſpinis horreat, etiam floribus adornabo.

JESUS ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt. *Hebr.* 13.

Q. An unctio ſeu conditura illa, facta ſit corpore exenterato? R. Apud Ægyptios talis unctio fieri conſuevit, apud Judæos verò tantùm unctio externa.

S. Martinus Episcopus & Sanctorum Episcoporum Exemplar, Sabariæ in Pannonia oriundus, datâ in eleemosynam Chlamidis suæ parte, vestitum Christum conspexit, vocémque audivit: *Martinus Catechumenus hâc me veste contexit.* Britium Clericum suum, discolum, furiosum, & viri sancti vitæ insidiantem, singulari patientiâ & mansuetudine toleravit, dicens: *Si Christus Judam passus est, cur ego non patiar Britium.* Dæmoni regia purpurâ induto, & se Christum esse dictitanti, reposuit: *Facesse! Ego Christum nullum novi nisi Crucifixum In vita.* Novit etiam Satanas se transformare in Angelum lucis. Sub specie boni, sæpe decipit incautos.

Ora pro nobis S Martine, nósque tuo patrocinio ita contra omnes diaboli insidias protege, ut inimicus non possit nocere nobis, præsertim in hora mortis nostræ. Et Tu - - O *fol.* 1

Ad quod impetrandum, quotiescunque Crucifixi imaginem, sive in Ecclesia, sive alibi conspexero, eandem reverenter salutabo: dicámque: *Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemisti mundum.*

In cogitandis JESU crucifixi suppliciis, eorum partem experior, imò ex amoris & doloris magnitudine, me totum, in Eundem sentio transformari. *Alphons. Rodriq.*

Q. Quomodo hæc unctio adhibita sit corpori Christi? ℟. Aromata & unguenta tantùm applicabantur extrinsecus, more videlicet Judæis usitato.

S. Didacus Complutenſis, ex S. Franciſci familia, imminente morte lætiſſimus, ad eum, quem per totum vitæ ſuæ curſum tenerrimè dilexit, nempè ad JESUM crucifixum confugit. Hujus imaginem afferri ſibi petiit, eam arctiſſimè complexus, & poſt repetita ſæpiùs pia oſcula, cum ingenti pietatis affectu exclamavit: *Dulce lignum! dulces clavos! dulcia ferens pondera!* His dictis ſanctam animam ſuo reddidit Creatori. *In vita.* O quantæ in cruce delitiæ! Quanta ſub amaro cortice dulcedo!

S. Didace, impetra mihi, ut JESUM crucifixum ſemper in vita diligam, & in dulci dulciſſimi JESU amore, vitam meam ſanctâ morte concludam. Et Tu cumprimis -- O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, ſingulis diebus animam meam pro mortis articulo, crucifixo Salvatori commendabo.

In accurata patientis Chriſti meditatione, non tantùm lego Divinæ charitatis exceſſum, usque ad donationem vitæ & ſanguinis, proprii filii ſui, ſed etiam perfectiſſimam diſco formam, illum redamandi, qui me tantopere dilexit. *P. Vincent. Caraffa.*

Q. Quis hanc unctionem procuravit? ℟. *Nicodemus, ferens mixturam Myrrhæ & Aloes quaſi libras centum.* Joan. 19.

B. Stanislaus Kostka Soc. JEsu Novitius, unicè satagebat imitari in omnibus JEsum, & hunc Crucifixum. In literis ad Parentem datis ita scripsit: *Indignus quidem sum, qui ob amorem DEI quidquam patiar: si tamen pro sua clementia, Christus JESUS tam multa pro nobis passus, tanto me beneficio dignaretur, nec optabilius quidquam, nec beatius, mihi in hac vita posset contingere.* Morti proximus noluit in lecto, sed humi jacens ultimum exhalare spiritum, ut similior esset Christo morienti in cruce: Dein Crucifixum manu tenens, plenum pietate colloquium cum Crucifixo instituit; gratias pro acceptis beneficiis egit, sacras plagas tenerrimo pietatis sensu exosculatus, inter SS. JESU & MARIÆ Nomina placidissimè exspiravit. *In vita.* Et tu sic mori potes; verùm: an etiam sic vivis?

B. Stanislae! tibi commendo ultimum agonem meum. Ora pro me, ut ab omni peccato liber, & ab omni perturbatione securus, moriar in amore JESU crucifixi. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, singulis sextis feriis specialem habebo memoriam JEsu crucifixi.

Cum sequeris viam Christi, non tibi sæculi prosperitates promittas; per dura ambulavit, sed magna promisit S. *Aug.*

Q. Quid deinde actum est cum exanimi corpore Christi? ℟. Involutum est linteis.

S. Elesbaan Rex Æthiopiæ, poſtquam magnas S. Archangelo Gabriele opitulante obtinuerat victorias, vincere ſeipſum & DEO ſacrificare ſtatuit. Profectus igitur Hieroſolymam, regiam coronam ſuam depoſuit, & eandem humi proſtratus, JESU Nazareno Regi Regum, olim infami crucis trabi affixo donavit, ad ſolitudinem ſe contulit, ibique inter glorioſos de orco, & de ſemetipſo triumphos, ſanctum egit Anachoretam. *In vita.* Nempe magnis mentibus nec totus mundus ſufficit, nec unquam illas explere poteſt, quidquid DEO minus eſt.

S. Elesbaan! per manus tuas, omnia mea méque totum dono & offero JESU crucifixo: ora pro me, ut poſt hanc vitam coronet me aliquando coronâ juſtitiæ juſtus judex. Et Tu cumprimis -- O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, quamprimum me ægritudo lecto affixerit, ſtatim conſcientiam meam ſecuram reddere ſtudebo, & ſatagam me in omnibus conformare Salvatori, in lectulo crucis, patienti & morienti.

Vide, ne magnus DEUS ſine cauſa factus ſit parvus, ne gratìs ſit mortuus, ne in vacuum crucifixus. *Bern.*

Q. Quare condiri aromatibus ſolebant corpora? ℟. Fiebat id honoris causâ, ut ſolennis & magnifica eſſet ſepultura.

S. Leopoldus, Marchio Austriæ, Princeps Christianissimus, pendenti in cruce Salvatori tenerrimè addictus, ut perpetuum suæ erga JESUM crucifixum pietatis monimentum posteritati relinqueret, non procul Viennâ, monasterium sub titulo sanctæ crucis erexit, illúdque annuis reditibus locupletavit. *In vita.* Sic profundendo opes, indeficiens colligitur thesaurus in cœlis, ubi neque ærugo, neque tinea corrumpit.

S. Leopolde, doce me exemplo tuo, amare & venerari crucem, atque in JESUM crucifixum animo semper esse liberali, saltem eidem offerendo & donando meipsum. Et Tu cumprimis. - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe; &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, Festum inventionis & exaltationis S. Crucis speciali prosequar veneratione.

Beatus multúmque felix, qui vivente in se Christo per singulas cogitationes & opera potest dicere: In fide vivo filii DEI, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. *S. Hieron.*

Q. An non fortasse ideo aromatibus condiebantur corpora defunctorum, ut servarentur incorrupta? ℟. *Non ideo: quia ad hoc fuisset necesse, ut etiam corpora exenterarentur*, Pacc.

S. Edmundo adhuc in ſcholis parvulo aſſedit JESULUS, & cum eodem pagellas evolvit, eúmque docuit, ut contra repentinam mortem, antequam cubitum concederet, quotidie fronti inſcriberet: JESUS Nazarenus Rex Judæorum. Moriens inter mille Crucifixi oſcula ajebat: Mi JESU, te teſtem habeo: nihil me unquam expetiviſſe præter te. Demum tenerrimo Crucifixum amplexu ſtrinxit, lacrymis rigavit, atque in vulneratum JESU Chriſti latus animam exſpiravit. *In vita.* Felix vita, quam talis finis coronat.

Ora pro me S. Edmunde, ut JESUS crucifixus, licèt moriar fortaſſe morte repentinâ, mori me tamen non permittat morte improvisâ. Et Tu cumprimis - - O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præſertim hodierni, & diei mortis meæ, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, orationem illam ſancto Ignatio familiarem: videlicet *Anima Chriſti ſanctifica me, &c.* ſemel ſaltem quotidie ferventer dirigam ad Chriſtum crucifixum.

Licet tibi, ſi velis, quotidie millies pro Domino mori. *S. Chryſoſt.*

Q. Quorſum deinde delatum eſt corpus Chriſti?
℟. In locum, Calvariæ monti vicinum.

S. Joseph ab Arimathia, pietate in JESUM crucifixum eminuit: interfuit ille quidem perversis machinationibus, & concilio Judæorum, noluit tamen iniquissimæ illorum sententiæ subscribere. Nec admisit, ut Christi in cruce mortui corpus, in communem cadaverum vallem, quæ erat juxta Calvariæ montem abjiceretur. Sed *audacter accessit ad Pilatum, & petiit corpus JESU*, atque illud ringentibus licèt inimicis JEsu crucifixi, honorificè sepelivit. *In vita*: Discant illi, qui nunquam magìs timidi, quàm dum pro DEI causa agendum, nunquam magis muti, quàm dum maximè loquendum.

Ora pro me S. Josephe JESUM crucifixum, ut seposito omni respectu humano, audacter agam, quod pro DEO agendum est, & fortiter patiar, quod pro DEO est patiendum. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JEsu, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, examinabo me hodie, quomodo hactenus vanum illum timorem superaverim; & meliora animi generosi proposita concipiam.

Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, *Isa.*

Q. Quare Christus sepultus fuit in loco, qui tam vicinus monti Calvariæ erat? ℟. Propter imminens Pascha, non poterat in remotiorem locum deferri.

B. Æmiliana extenſis in crucem manibus frequenter orabat, copioſas inter lacrymas patientem in cruce JEſum conſiderabat, imò clamore valido, multis lamentis, & reſolutis crinibus, acerbiſſimam Dilecti ſui JEſu crucifixi mortem deplorabat: Sæpius cor ſuum, in SS. Vulnus lateris Chriſti deprimebat, tanto cum affectu, ut non raro ſemimortua, coram Crucifixo humi proſtrata, fuerit reperta. *Bolland*: Multi lugent, plorant, lamentantur, lacrymantur; Sed quare? Pauci certè propter JEſum crucifixum.

Doce me ô B. Æmiliana! doce me, Sanctè & utiliter animæ meæ damna deflere, & JESU crucifixo piè compati, & condolere, ut mihi omnes, quas fundo, lacrymæ ſint ſolatio in tempore & æternitate. Et Tu &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, in honorem JEſu crucifixi, præſertim feriâ ſextâ ab omni joco, riſu, luſu abſtinebo.

Filius erat; & factus eſt tanquam ſervus: non ſolùm formam ſervi accepit, ut ſubeſſet, ſed etiam mali ſervi, ut vapularet, & ſervi peccati, ut pœnam ſolveret, cùm culpam non haberet. *S. Bern.*

Q. Quare non fuit corpus Chriſti delatum in monumentum maternum, quod erat valli Joſaphat & Getſemani conterminum? ℟. Qui in nativitate voluit carere lecto & tecto proprio, voluit etiam poſt mortem proprio carere ſepulchro. *Paccinch.*

S. Elisabetha, humillima JESU crucifixi ancilla, ab infantia JESUM crucifixum in Sponsum suum elegit, & in virginea integritate vivere statuit, sed Parentum auctoritate & importunitate victa, matrimonii jugum suscepit. Per occultas tamen corporis afflictationes, JESU Christo fieri simillima exoptabat. Hujus amore, licèt toleraret difficillima, adhuc tamen pati plura desiderabat. Christus è cruce, eandem consolabatur sæpius, imò etiam vivendi & patienti finem adesse ei significavit. *In vita.* Bene operare, dum tempus est, ne fides tua sit otiosa. Erit hora, quâ operari non licebit amplius.

Impetra mihi S. Elisabetha à charo tuo, & meo JESU crucifixo, ut ille solus in vita & in morte unicum sit cordis mei & animæ meæ solatium. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, & dum surgam, & antequam decumbam, pio osculo venerabor vulnera Crucifixi.

Si DEUS fuisset mancipium, & homo DEUS, non potuisset plus fecisse pro illo, quàm nunc præstitit. *S. Thom.*

Q. Quale fuerit hoc sepulchrum? ℟. Erat monumentum, *quod exciderat Joseph in petra.*

S. Romanus, poſtquàm viderat S. Laurentii ſanguinem è vulneribus defluentem ab Angelo abſtergi, fidem Chriſti palam eſt profeſſus. Graviſſima inter tormenta, plagas, & vulnera, ſæpius exclamabat: Gratias tibi ago Tyranne! quòd ampliores mihi patefacias vias, quibus Chriſtum JEſum prædicem. Ecce! tot JEſum Chriſtum laudant ora, quot recipio vulnera. *In vita.* Calamitas, licèt videatur mala, ſæpe tamen eſt principium boni. Diſce à ſanctis, laudare DEUM, etiam in adverſis.

Solare me deſolatum S. Romane, ut inter dolores mortis, benedicat anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus. Et Tu cumprimis -- O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! Vosque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præſertim hodierni, & diei mortis meæ, & Vos, ô beatæ in cœlis animæ, quondam JESU crucifixo peculiariter devotæ, &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, morbi dolores & moleſtias, uniam frequenter cum doloribus JESU Chriſti in cruce morientis.

JESUS quô vilior, eò tibi ſit charior Redemptor. *Tertull.*

Q. Ubi ſitum fuerit illud monumentum? ℟. In horto, qui vicinus erat Calvariæ monti.

S. Julianus Toletanus Episcopus, ut Dominicæ Passionis Meditationi majori animi sui quieti vacaret, feriâ sextâ semper in solitudinem aliquam se contulit, ibique diem totum ad pedes Crucifixi prostratus transegit: & quidem tanto pietatis affectu, ut præ amoris vehementiâ, illo tempore, nec podagricos, quibus aliàs vehementer affligebatur, dolores sentiret. *Acta SS.* Sancti dies totos transegerunt orando: tu otiando: Illorum in solo JEsu erat solatium: Tuum nullibi minus, quàm in Christo JEsu.

S. Juliane! O sim & ego inter illos, quibus, soli adhærere DEO bonum est, qui nec ullam alibi animabus suis requiem inveniunt, nisi ad pedes JEsu crucifixi. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, cum Alexandro Lusagio frontem, labia, & pectus manè & vesperi signabo, dicendo: *JESUS Christus crucifixus sit in mente mea. JESUS Christus crucifixus sit in ore meo, JESUS Christus crucifixus sit in corde & opere meo.*

O Lancea crudelis! quomodo ausa es aperire pectus JEsu mei. *S. Clara.*

Q. Quare voluerit Christus sepeliri in sepulchro novo? ℟. Ut nos doceret; si sanctissimum corpus Christi recipere velimus, cor nostrum novum & mundum sit, oportet.

S. Cæcilia, Virgo nobilis & glorioſa Martyr adeò ferventi Chriſti JESU amore æſtuabat, ut ſacrum ejusdem Evangelium ſemper ſecum deferret, & quidquid legeret, agendo & patiendo imitaretur. In locum ſupplicii deducta, JEſu in cruce tanta pro nobis paſſi memor, hilari vultu palam aſſeverabat: *Ne putetis fratres mortem pro Chriſto JESU toleratam mihi fore damnoſam, ſed vel maximè quæſtuoſam creditote.* Tribus dein in collo acceptis vulneribus, immaculatam animam JEſu Chriſto, Divino Sponſo ſuo transmiſit. *In vita.* Non eſt jactura felicior, quàm ſanguinem & vitam illius honori impendere, qui eandem dedit.

Ora pro me S. Cæcilia, ut libenter, hilarique animo ad JEſu crucifixi gloriam & honorem, vires meas omnes, vitam & ſanguinem impendam, malimque mori cum JEſu, quàm vivere ſine JEſu. Et Tu cumprimis &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, quoties aliquid patiendum erit, imitabor P. Vincentium Caraffam dicámque: *Quid hæc ſunt ad Dominum meum JESUM Crucifixum?*

O amor crucis Domini mei JEſu Chriſti! fac mihi gratiam, ut te inveniam in corde meo. *S. Clara.*

Q. Quænam officia pietatis Chriſto exhibuerit Joſephus & Nicodemus? ℟. Hi viri nobiles depoſuerunt corpus de cruce, aromatibus condierunt, ſindone involverunt, & ſuis humeris deportârunt in ſepulchrum.

S. Felicitas, illustris matrona Romana, septem filiorum mater sanctissima, verè altera Machabæa, filios suos in loco Martyrii constitutos sic est affata: *Suspicite ô mei filii! Cœlum suspicite! ubi cum Cœlitibus omnibus vos Christus JESUS expectat: Agite, quod agitis fortiter: Pugnate pro vestra salute viriliter: durate in amore JESU Christi constanter, qui pro vobis mori est dignatus.* Postquam omnes filii, spectante matre, Martyrium gloriosè consummârunt, Felicitas jam priùs septies in septem filiis mortua, in carcerem abripitur, quatuor mensibus ibidem hæret captiva, ut lentâ morte conficeretur: Tandem, quia sanctæ fidei erat tenacissima, eandem jussit Tyrannus obtruncari: *In vita.* Non facile dici potest, quantum prosint filiis, piæ matris monita & exempla.

O Sancta Felicitas! unacum sanctis filiis tuis ora pro me, & per tuam apud JESUM intercessionem, redde me adeò felicem, ut mors mea mihi Janua sit ad æternam felicitatem.

Ad quod impetrandum, in omni afflictione, Crucifixi aspectu me consolabor, dicámque: *Hæc & plura passus est in cruce, Dominus meus JESUS Christus: & tamen erat unigenitus DEI filius.*

Ubique se offert homini DEUS, & aliud pretium, nisi memoriam mortis filii sui non requirit. *S. Bonav.*

Q. An fuerit conveniens Christum sepeliri? R. Convenientissimum erat. *S. Thom.*

B. Herculanus, vir admirandæ abſtinentiæ & auſteritatis, concionator quidem ſingularis, majorem tamen nunquam in populo ciebat motum animorum, quàm cùm de paſſione Domini faceret ſermonem. Aquilæ ſub ejuſdem concione, alios inter amarè flentes, quædam nobilis matrona altâ voce exclamabat: *Non amplius ô Herculane! non amplius*: at ille amore JESU æſtuans, reponebat: *Imò amplius ô Domina! amplius! & amplius ploremus omnes! Ploremus*! Et ecce: adeò omnium invaluêre voces & ejulatus, ut in illa urbe nunquam ſimilis planctus fuerit auditus. *Acta SS.*

Fac pro DEO, quæcunque potes; nunquam tamen tantum reddes, quantum debes.

Memento mei B. Herculane! & impetra mihi à JESU crucifixo, ut ampliùs & ampliùs creſcat in me ſincerus erga JESUM crucifixum affectus devotionis & compaſſionis, Et Tu &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, ſæpius coram Crucifixo proſtratus repetam: *Per pretioſum ſanguinem tuum, ô bone JESU! ampliùs! lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me!*

Imitatur Chriſtum crucifixum, qui illius cruci carnem ſuam clavis affigit, mundo crucifixus & mortuus. *Germ. Conſtan.*

Q. Quare fuerit conveniens, Chriſtum ſepeliri. ℟. Ad comprobandam veritatem mortis: non enim ſepelitur aliquis, niſi quando jam conſtat, quod verè mortuus ſit, *S. Thom.*

S. Catharina Virgo, Imperatorem Maximinum Diis ſacrificantem ſummâ libertate publicè ſic eſt affata: *In quantis tenebris verſaris Maximine! dum idolis, hominum vitioſorum ſimulacris ſacrificas, dum ad tantam impietatem exemplo tuo, tot populos rapis, quos ipſe tanquam caput & Princeps ab errore deberes vindicare. Agnoſce verum illum DEUM, à quo imperium es conſecutus. Agnoſce illum, qui licèt DEUS eſſet immortalis, pro nobis tamen homo fieri, & ſponte in cruce mori eſt dignatus.* Rogata à Maximino, quænam eſſet? reposuit audacter. *Notum eſt hac in urbe meum genus. Id, quo potiſſimum glorior, eſt, quòd ſim Chriſtiana, Chriſtóque JEſu, vero DEO, veróque homini deſponſata. In Vita.* Nil metue: etſi omnes contra te, modò DEUS pro te.

S. Catharina, quæ in loco ſupplicii à JESU Chriſto petiiſti, ut omnes clientes tui per te quidquid vellent, impetrarent: En S. Virgo & Martyr: Per tuum erga JESUM crucifixum amorem id unum peto, & nihil omnino aliud, niſi piè vivere, & ſanctè mori. Et Tu &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, die Veneris ſemper peculiariter ſtudebo cordis compunctioni.

Cum Chriſto claude oculos tuos, cùm quid delectabilium in eos incurrerit, abripiens te ad perniciosæ voluptatis exitium.

Q. An Chriſtus nobis aliquid meritus ſit per ſuam ſepulturam? ℟. Haud dubiè *per incluſionem in ſepulchrum nobis meritus eſt.* S. Bon.

XXVI. NO-

B. Bisarius, vir singulari pollens Spiritu orationis & mortificationis, intuendo pendentem in cruce Salvatorem, tantâ abripiebatur affectûs teneritudine, ut non tantùm per integras noctes, quod fiebat sæpissimè, sed sedecim diebus in cubiculo suo ante crucem Domini nostri JEsu Christi, immotus, brachiísque in crucis formam extensis hæreret. *In vitis Patrum.* Et mihi, quàm longa videtur vel unica hora orationis: simile miraculo est, si vel hanc transigam devotè.

Exaudi me B. Bisari! & precibus tuis impetra, ut discam bene orare, & piè ac devotè semper JEsum crucifixum adorare. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JEsu, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! &c. *fol* 1.

Ad quod impetrandum, conabor ubicunque, & quocunque modo promovere amorem & cultum JEsu crucifixi.

Cum Christo claude os tuum, cum consistit adversùm te peccator calumnians, & irritans ad injurias, & proximo obtrectans. *Germ. Const.*

Q. Quomodo Christus per inclusionem in sepulchrum, nobis aliquid meritus sit, cùm tempus merendi, terminatum sit unacum fine vitæ? ℟. Quia adhuc vivens, prævidit se sepeliendum, illúdque acceptans, æterno Patri obtulit pro nobis. *Pacciuch.*

S. Benignus Presbyter, sub Aureliano magna pro JESU Christo egit, & dura quæque est passus. Hæc inter, unicum suum inveniebat solatium in JESU crucifixo. Lanceâ deinde confossus, exultabat gaudio, quod JESU Christo Duci suo; aliqua saltem ex parte similior sit factus. Sancta ejusdem anima, ab omnibus circumstantibus est visa in columbæ specie, ex ejus ore in Cœlum evolare. *In vita.* Inter benefactores computa, qui te oderunt: dant enim occasionem virtutis; promovent te ad viam salutis.

Adesto mihi ægro & morienti S. Benigne! ô utinam & cor meum, præsertim in hora mortis meæ, ita vulneret amor JESU crucifixi, ut exultem in DEO JESU meo, & læto animo migrem in Domum Domini! Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, pactum firmissimum inibo cum JESU crucifixo, quod afflictissimo JESU, nullum omnino vulnus ampliùs addere, aut infligere velim: *quid enim sunt peccata nostra nisi Christi vulnera.*

Surdus esto ad oblocutiones, & injurias, & cane cum Davide: ego verò tanquam surdus non audiebam. *Germ. Const.*

Q. An Christus prædixerit hanc sepulturam? ℟. Quod ita: ajebat enim de Magdalena: *Mittens hoc unguentum in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Matth. 26.

S. Carpus justo, ut ipse quidem putabat, zelo accensus, petebat à DEO, ut fulmine percuteret Paganum quendam, & Apostatam Christianum. Et ecce inter hos animi motus vidit profundum, & horribilem terræ hiatum, & utrumque scelestum voragini illi & ruinæ proximum. Recreabatur hâc visione vir sanctus, eò quod scelerati, meritâ pœnâ essent plectendi. Verùm illico mutatâ scenâ conspexit JESUM vulneribus plenum, & duos illos miseros auxiliatrici manu, extremo periculo subducentem, & dicentem; *Carpe! ne clama deinceps: Percute! Percute! sum enim paratus, pro salvandis hominibus rursus pati, & mori. S. Dionys.* Discite, quàm benignus & misericors sit JESUS: lapsos oportet corrigere, ne posthac peccare præsumant; simul tamen erigere, ne desperent.

Precibus tuis effice S. Carpe! ut juxta exemplum JESU Christi, talis in me vigeat zelus, qui sit plenus patientiâ & benignitate. Et Tu cumprimis -- O piissima &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, conabor imitari mansuetudinem Christi.

Liga manus tuas, ne extendantur ad actiones damnosas, neque ad rapinam earum rerum, quæ nihil ad te attinent. *Germ. Const.*

Q. An etiam modus sepeliendi fuerit conveniens? ℟ Convenientissimus, & ad commendandam pietatem sepelientium, & ad confirmandam fidem mortis ac resurrectionis. *S. Th.*

S. Isabella diem Veneris solo pane & frigidâ contenta transigebat. Hebdomadâ sanctâ peculiaria pietatis exercitia obibat. Ipsâ die Parasceves, vili utebatur amictu, & ferè lacrymis diffluebat; memor earum lacrymarum, quas eo die Dominus in cruce pro nobis fuderat adeò copiosè. Dicebat: quidquid ageret, nihil omnino esse; cùm JESUS crucifixus infinito dignus sit obsequio, & amore. *In vita*. Quàm bellè conjungitur humilitas, & majestas.

Impetra mihi S. Isabella! ut quantuscunque sim dignitate, sapientiâ, meritis & virtute, semper tamen JESUM crucifixum imitari studeam verâ & profundâ cordis humilitate. Et Tu cumprimis O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! &c. *fol.* I.

Ad quod impetrandum, sæpius considerabo Crucifixum, qui humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Liga simul pedes tuos, si conentur currere ad te via & barathra; & ut paucis dicam: confige manus & pedes timore ejus, qui manibus & pedibus propter te ad pœnam expositus est. *Germ. Const.*

Q. An etiam aquâ ablutum fuerit sanctissimum corpus Christi, antequam sepeliretur? ℟. Quod ita; sic testatur *Chrysost.*

S. Andreas Apoſtolus, adeò tenero amore afficiebatur JESU crucifixo, ut nec mori vellet niſi in cruce. Ad locum ſupplicii deductus, ut primùm crucem conſpexit, exclamare, eámque dulciſſimo ſtringere cœpit amplexu, dicens: *O Bona Crux! quæ decorem ex membris Domini ſuſcepiſti; ô Crux diu deſiderata, ſollicitè amata, ſine intermiſſione quæſita, & tandem aliquando cupienti animo præparata! Accipe me ab hominibus, & redde me Magiſtro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit. In vita.* Sic ſentiunt, qui intelligunt, quantus lateat in cruce theſaurus.

S. Andrea crucifixe, JESU crucifixi Diſcipule! Commenda me Magiſtro tuo JEſu crucifixo, ut me doceat æſtimare & amare crucem, velut pignus æternæ ſalutis. Et Tu cumprimis - - O piiſſima Virgo, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, præſertim in ægritudine proteſtabor ſæpius, me non aliter velle emittere ſpiritum, niſi in ſanctiſſima vulnera JESU crucifixi.

Si ita ſimul cum Chriſto crucifigaris, gloriam cum ipſo conſequêris, quando venerit in gloria Patris ſui cum ſanctis Angelis ſuis. *Germ. Conſt.*

Q. Ubi illa aqua ad abluendum corpus Domini adhibita, ſervata fuerit? ℟. Hieroſolymis, & quidem ſuaviſſimum ſpirans odorem, & varios curans languores. *In vita S. Vinc. Fer.*

S. Maglorius Episcopus, in honorem JESU crucifixi quartâ & sextâ feriâ, omni prorsus cibo abstinebat; aliàs etiam frequentibus jejuniis & corporis afflictationibus totus omnino vitâ & moribus conformis fieri studebat JESU crucifixo. Ab Angelis sæpiùs visitatus, tandem hæc verba solatio plena à cœlesti genio audivit: Sancte Magliori! age, quod agis: operare, quod operaris: ne dubites nomen tuum scriptum esse in libro militiæ cœlestis. *Nad.* Age & tu quod agis: nec fluctua continuò, nec claudica in partem utrámque.

S. Maglori, per magna tua apud DEUM merita impetra mihi, ut tandem aliquando seriò & constanter serviam JEsu crucifixo. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum audire mihi hodie videbor ictus clavorum, & configar Christo, clavis timoris, amoris & mortificationis.

Omnia habemus in Christo, & omnia Christus est nobis: si vulnus curari desideres, Medicus est. Si febribus æstuas, fons est. Si gravaris iniquitate, justitia est. Si auxilio indiges, virtus est. Si mortem times, vita est. Si cœlum desideras, via est. Si tenebras fugis, lux est. Si cibum quæris, alimentum est. *S. Ambros.*

Q. Quare olim, sepulturæ præmissa fuerit ablutio corporum? ℟. Ut talis ablutio esset præparatio ad subsecuturam ex oleo & balsamo unctionem. *Pacc.*

S. Marcellus, Legionis Trajanæ centurio duodecim filios ſuos ad Martyrium ſubeundum, ſic eſt hortatus: *Rependite filii mei: Rependite fortiter vitam veſtram Domino JESU Chriſto, quì ſuam prior in ara crucis pro vobis adeò liberaliter impendit.* Ipſe verò cingulô militari abjectô, imperterritè Agricolao repoſuit: *Scias Agricolae! Chriſtianus ſum, & talem me palam profiteor: Chriſtianus ſum: nec metu, nec minis, nec tormentis me vel latum unguem patiar à Chriſto JESU avelli. Lipellous tom.* 4. Pereat gemma & ſtemma! Pereant res & ſpes! Pereat fortuna & vita, modò anima ſit ſalva. Hâc perditâ, quid proſunt omnia?

O utinam S. Marcelle! ô utinam mihi concedatur pro Chriſto mori, qui pro me mori voluit & quidem morte crucis. Et Tu &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, S. Crucem hodie contemplabor, & ad quamlibet crucem & quævis adverſa paratum animum DEO offeram.

Dominus tuus crucifixus eſt, & tu requiem quæris? Dominus tuus afflictus eſt, & tu deliciaris? Ad ejus imaginem, qui deformitati noſtræ conformis factus eſt, renovemur. *S. Leo.*

Q. Quid autem innuebatur per illam ablutionem ante ſepulturam? ℟. Quemadmodum corpus à corporalibus ſordibus per aquam, ita per gratiam anima defuncti emundata ſperabatur: quod tamen in Chriſto, utpote ipsâ ſanctitate incarnatâ deſignari non poterat. *Pass.*

S. Franciſcus Xaverius, magnus Indiarum Apoſtolus, ſæpe JESU crucifixi amore ita æſtuabat, ut ex ejus pectore flammæ erumperent. Meditationes illius quotidianæ erant de Crucifixo: facilè quatraginta millia idolorum, per illum disjecta ſunt, & eorum locò ubique Chriſti crucifixi ſimulacrum eſt ſubſtitutum. Xaverio in India gravius quidpiam patienti, compatiebatur Crucifixus, in domo Xavier dicta collocatus. *In vita.* O quàm erronea ſunt noſtra de cruce & adverſis judicia. Crucem præ omnibus mundi deliciis deſideravit, & elegit Chriſtus: nunquid ergo crux deſiderabilis, & bona ſit, eſt neceſſe?

S. Franciſce Xaveri, commenda me crucifixo tuo JESU, quem per totam vitam tuam ardentiſſimè amâſti, & ad quem ſuſpirans ſanctiſſimè exſpirâſti. Et Tu cumprimis, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, conſiderabo hodie titulum ſanctæ crucis, & hic quoque erit Rex meus, Dominus meus & DEUS meus, nec alium anima mea Dominum, unquam admittet.

Univerſum mel, quod colligi poteſt ex floribus hujus mundi, tantam non habet dulcedinem, quantam habet Domini JESU fel & acetum. *S. Ign.*

Q. An Joſephus & Nicodemus crediderint tantùm fuiſſe corpus hominis quidem ſancti, non autem hominis DEI? ℟. Putandum non eſt, illos fuiſſe minùs illuſtratos fidei lumine, quàm centurionem exclamantem *verè filius DEI erat iſte. Pacc.*

S. Barbara à barbaro Parente suo Dioscoro inclusa, marmoreæ columnæ conclavis sui, signum S. Crucis, digito prodigiosè impressit: Causam hujus interrogata, *nostræ redemptionis mysterium, quam nostri causâ JESUS DEI filius in patibulo crucis operari est dignatus*, Parenti suo disertè exposuit. Hic prope amens furore, factus est immanis carnifex & Tyrannus, filiámque suam post multos cruciatus propriâ manu decollavit. *In vita.* En! quò indomita Passio præcipites agat. Filios & filias sæpè perdit immodicus rigor, sæpissimè nimiùm indulgens amor Parentum.

Numera me inter devotos clientes tuos S. Barbara, Virgo & Martyr gloriosissima! & ora pro me JEsum Christum filium DEI, ut me indignissimum servum suum non deserat in hora mortis meæ, quem pretioso sanguine suo redemit. Et Tu cumprimis -- O &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, considerabo hodie S. Matrem JEsu MARIAM stantem juxta crucem filii sui; Stabo & Ego per gratiam DEI inter adversa, nec unquam, quidquid tandem accidat, à JESU meo recedam.

Passionis Christi memoria dici potest, argumentum esse divinæ prædestinationis. *S. Aug.*

Q. An Josephus & Nicodemus crediderint corpus Christi mansurum incorruptibile? ℟. Quod ita: Nicodemus enim, utpote Magister, & Doctor legis, legerit illud apud Prophetam: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.*

S. Euplius sæpius miris modis excruciatus, orabat constanter; dolorum suorum levamen alibi non quæsivit, nec invenit, nisi in Crucifixo. Media inter upplicia, appenso ad collum Evangelio Christi, illud ingeminabat: *Christianus sum! Christianus sum! Gratias ago JESU Christo DEO meo!* sicque post prolixam orationem jugulum ensi præbuit. *Nad.* Cave: in fine ne co rumpas.

S Euplii meritis præsta nobis quæsumus Domine, ut veri Christiani vitam, verbis, & factis exprimamus. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, considerabo hodie Magdalenam ad pedes JESU crucifixi prostratam: Tenebo proinde & ego eosdem sanctissimos pedes Domini mei, nec recedam, nisi cum plena delictorum meorum remissione, benedixerit mihi.

Signa vulnerum obliterare noluit, ut electi ei indesinenter gratias agant. *Haym.*

Q. Quare ergo Josephus & Nicodemus unxerunt corpus JESU, si illud aliunde ab omni corruptione illæsum servandum crediderunt? ℟. Non fecerunt id propter necessitatem, sed propter honorem tali corpori debitum. *Theophil.*

VI. DE-

S. Nicolaus Episcopus, adhuc in prima constitutus infantia, die Mercurii & Veneris, non nisi semel maternum lac degustabat, ex quo colligere licuit quantùm aliquando in majori ætate imitaturus esset JESUM crucifixum. Nec vanum erat augurium. Factus Episcopus, etsi jam antehac virtutum esset exemplar, non tamen carnibus vescebatur: totius domûs divitiæ non aliæ erant nisi sancta paupertas, quam omnibus mundi divitiis præferebat. Nec lectum quidem habebat, sed ut necessariam quietem caperet, humi cubabat, memor JESU, qui in duro crucis lectulo exspirâsset. *In vita.* Antè virtus, quàm dignitas quærenda est. Plurimùm prodest virtus, etiam sine ulla dignitate; nihil omnino prodest ulla in mundo dignitas sine virtute.

Ora pro me, & vivente & moriente S. Nicolae, ut viventem & morientem me ab omni malo defendat & protegat, meus & tuus JESUS crucifixus. Et Tu cumprimis - - &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, considerabo hodie Latronem pœnitentem, & statuam firmissimè, hodie adhuc, dum tempus est gratiæ, reverti ad Dominum.

Frustra appellamur Christiani, si imitatores non fuerimus Christi. *S. Leo.*

Q. Quare Christus voluerit à tam nobilibus viris sepeliri? ℟. Multum referebat, id præstari à Judæorum primatibus, eísque Sanctis & justis. *Paccinch.*

S. Ambrosius, Episcopus & Ecclesiæ Doctor, Pater amantissimus, Pastor vigilantissimus, quem & Gratianus & Theodosius Imperatores, ut Patrem suum sunt venerati, singulis feriis sextis severè jejunabat; ad imitationem JESU crucifixi ardua quæque maximo animo ferebat: adeò excellens erat in affectu erga crucem & Crucifixum, ut & sub vexillo crucis militare, & cum Christo JESU crucifigi ardentissimè desideraret. Scripsit duas epistolas, nil nisi JESU crucifixi amorem spirantes. In ipsa hebdomada sancta JESU crucifixo sacrata: videlicet Sabbatho sancto, sanctissimè migravit ad Dominum. *Sand.* Scilicet non potest malè mori, qui benè vixerit. *S. Aug.*

Te intercedente S. Ambrosi, me quoque post sanctam mortem recipiat JESUS Christus in æterna tabernacula. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, considerabo hodie alterum latronem in cruce desperantem: & ruminabo illud S. Augustini: *Mori malè, times, & malè vivere non times? corrige malè vivere; time malè mori.*

Signum Crucis à nobis expellit exterminatorem, si tamen cor nostrum, Christum habeat inhabitatorem. *S. Aug.*

Q. Quare voluerit Christus sepeliri in sindone munda? ℟. Ut nos doceat, quantum amet in omnibus munditiem; *S. Thom.*

VIII. DE-

S. Pancratius Episcopus, simulacrum JESU crucifixi, & iconem Marianam è muris Tauromeniensis Urbis, quæ ab Ethnicis obsidebatur, ostentabat: & illico inimici crucis Christi, & hostes Virginis MARIÆ in mutuam cædem sunt conversi, sicque Christiani victoriam, Urbs obtinuit libertatem. *In vita.* Etsi gravissima sæviat tempestas, in spe sit fortitudo tua.

Succurre mihi S. Pancrati, & precibus tuis mihi impetra, ut per signum S. Crucis confundantur omnes, qui quærunt animam meam. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, considerabo hodie primum verbum Christi in Cruce, & beneficium aliquod iis exhibere conabor, qui me persequuntur.

Cur me graviori tuorum criminum cruci affixisti? Gravior apud me peccatorum crux, in qua invitus pendeo, quàm illa, in quam tui misertus ascendi. *S. Aug.*

Q. Cur Christus in horto fuerit sepultus? ℟. In horto commissum est Adæ peccatum, in horto passionis factum est initium, in horto tandem esse debebat crucifixi Domini sepulcrum.

S. Guduvalus Episcopus, vir adeò dilectus Domino, ut Angeli horas Canonicas cum eodem persolverent, eique ad sacrificium ministri assisterent. Celebrato sacro, dum more solito coram Crucifixo gratias persolveret, eum Christus è cruce ad constantiam in virtute ita animavit. *Constans esto dilecte mi! tecum ego sum DEUS tuus. In vita.* Sola patientia est, quæ animum invulnerabilem reddit.

Juva & me precibus tuis S. Guduvale, ut non sim velut arundo mobilis in exercitio virtutum, sed in eo, quod bene cœpi, usque in finem perseverem. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, considerabo secundum verbum in cruce: quod Christus locutus est ad Latronem: Quid non potest, & prodest unico momento gratia DEI acceptata: & quantum nocuisset Latroni, si gratia hæc unica, hæc unica occasio fuisset neglecta.

Christus crucifixus, & lac est sugentibus, & cibus est proficientibus. *S. Aug.*

Q. Quare Christus positus est in monumento tali, in quo nondum quisquam alius jacuerat? ℟. Ne fortasse Judæi dicere possent, alium, non verò Christum resurrexisse.

S. Antoninus Florentinus, vir ſingularis prudentiæ & ſanctitatis, ſtaturâ puſillus, magnus verò conſilio, verbo potens & opere nil in terris dilexit, niſi JESUM crucifixum. Ad Crucifixi imaginem divinâ vi elevatus, à ſuaviſſimis JESU vulneribus inter oſcula pependit. JESU amoribus & MARIÆ laudibus tandem immortuus eſt. *Nad.* Diſce, & tu terrena omnia deſpicere, futura ſingulis horis cogitare, JESUM & MARIAM præ omnibus amare.

Ardentiſſimo JESU crucifixi amore, frigidum cor meum inflamma S. Antonine, ut ſanctâ illorum morte moriar, qui verè amant JESUM crucifixum. Et Tu cumprimis - - O piiſſima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, conſiderabo tertium in cruce verbum (quo Chriſtus Matrem Joanni, Joannem Matri, Virginem Virgini commendavit) & me Sanctiſſimæ Virgini in clientem perpetuum & filium devovebo.

O bone JESU! ſine fine amandus, & ideò ſine fine quærendus! *S. Auguſt.*

Q. Quare ſepeliri voluerit Chriſtus in loco Hieroſolymis vicino? ℟. Ut ipſi etiam jurati hoſtes Chriſti, omnéſque cives Hieroſolymitani, tantò faciliùs in notitiam venire poſſint glorioſæ Dominicæ reſurrectionis.

S. Henricus cùm JESUM crucifixum pias inter preces consuleret, quid agendum, ut securè ad æterna prœmia perveniret, jussus est aulam fugere, & se ex mundi strepitu in solitudinem & eremum conferre. Secutus est consilium, atque adeò sanctam regius hic eremita vitam instituit, ut ab eodem Crucifixo, se libro vitæ inscriptum esse intelligeret. Moribundo alternis choris Angeli *Te DEUM laudamus*, accinuisse sunt auditi. *Nad.* Fuge mundum, si vis esse mundus; si tu es mundus, jam non delectat te mundus.

Intercede pro me S. Henrice, Eremita regie, ut totus mihi dissipiat mundus, solusque mihi placeat JESUS crucifixus. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, considerabo quartum in cruce verbum, atque, ne me unquam derelinquat DEUS meus, cavebo, ne ego unquam Dominum meum ac DEUM meum deseram peccando.

Ubicunque signum crucis erigitur, illic procul dubio & Christi victoria, & diaboli captivitas denotatur. *S. Petr. Dam.*

Q. Quare linteo tantùm, involvi sanctissimum corpus suum voluerit Christus? ℟. Ut hâc ratione innueretur extrema paupertas Christi, quæ non sic eluxisset, si attalico, purpurâ, &c, fuisset involutum corpus Domini.

S. Avertanus ab Angelo religiosum statum ingredi jussus, & à Regina cœli in filium receptus, demum in morbo supremo, ab ipso Christo JESU visitatus est. Hic sanctissima vulnera sua, splendidis radiis circumfusa, Avertano jamjam morienti ostendit, dicens: *Veni, veni anima dilecta, mihique devota, in requiem Salvatoris tui: intra hoc apertum latus, ad recipiendum prœmium pro tuis laboribus.* *Nad.* Hæc præmia, hæc bona, tu quoque cupis obtinere, & tamen tu bonus esse non contendis.

Liceat & mihi per tuam intercessionem ô S. Avertane! Liceat & mihi morienti ingredi in vulnera JESU Christi. Hìc libenter requiescam in pace, hìc habitare quàm bonum, quàm esset beatum! Et Tu cumprimis -- *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, expendam hodie quintum in cruce verbum, & cùm Dominus JESUS non tam sitiverit potum quàm animas, eidem meam animam plenissimo offeram affectu.

Vulnera suscepta pro nobis, cœlo inferre maluit, abolere noluit, ut DEO Patri, pretia nostræ libertatis ostenderet. *S. Ambr.*

Q. Quare Corpus Christi non in serico aut panno de lana, sed *Linteo* aut *Syndone* fuerit involutum? ℟. *Quia Syndon fit ex lino, linum autem ex terra procreatur, & cum magno labore ad candorem perducitur: ut nos doceat, quod corpus terrenum, per laborem passionis perveniat ad candorem immortalitatis.* S. Remig.

S. Lucia Virgo & Martyr Syracusis in Sicilia, etiam in pyra ardenti, medias inter flammas stetit immobilis & quieta: imò ab omnibus flammis illæsa, cruci adhæsit & Crucifixo; JESUMque, qui *nos in finem usque dilexit*, cordatissimè loquebatur, donec *extensis in crucem manibus* orans, gladio transfixa, se Christo JESU in cruce pro nobis immolato obtulerit in sacrificium cruentum. *In vita.* Tenera erat virguncula sancta Lucia: verùm nemo de annis, sed de meritis quisque suis æstimandus est.

Conforta me precibus tuis S. Lucia, & roga pro me, ut spretis aliis rebus omnibus soli Domino JESU Christo placere concupiscam. Et Tu cumprimis -- O &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, considerabo sextum verbum Christi, & conabor bene cœpta constanter prosequi, & sanctè perficere, & *consummare.*

Accede tandem ad cor humillimum JESU altissimi per januam lateris lanceati: ibi thesaurus ineffabilis charitatis latet; ibi nova devotio invenitur, inde lacrymarum gratia extrahitur, discitur mansuetudo, patientia in adversis, compassio in afflictis, & præcipuè cor contritum & humiliatum invenitur. *S. Bern.*

Q. Quomodo sacrum Christi corpus delatum est ad sepulchrum? ℟. DEIpara Virgo caput & humeros, Magdalena pedes, reliqui sacrum Domini funus honorificè suis humeris, tumulo intulerunt. *Bonav.*

S. Joannes Chuzubita, Angelis admodùm familiaris, profundâ cordis humilitate prorſus ſingularis, quâ etiam contra dæmones gloriosè triumphavit. Vir hic ſanctus paſſus eſt plurima, nulla tamen unquam querela, aut gemitus ab eo eſt auditus: ſed potiùs oculos conſtanter in pendentem è cruce JESUM defigens, illud identidem repetebat: *Si DEUS hæc pati poteſt: quid ni ego ſaltem his longè minora patiar. Nad.* Optimum malis ſuis adfert medicamentum, qui pati novit. Saltem ea feras patienter, quæ mutare non potes.

Patiar & ego libenter ô S. Joannes! quidquid patiendum occurrit, dum agnoſco talia & tanta pro me paſſum fuiſſe JESUM crucifixum. Et Tu cumprimis - - O piiſſima Virgo, amaritudine. & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam ſuſcipe! &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, conſiderabo Joannem Diſcipulum, ſuo in cruce Magiſtro condolentem, ſanctas mulieres plorantes, & peculiariter venerabor ſemper illos cœlites, qui præ reliquis coluerunt JESUM crucifixum.

In petra exaltatus, in petra ſecurus, in petra firmiter ſto: ſecurus ab hoſte, fortis à caſu, & hoc, quoniam exaltatus à terra. *S. Bernard.*

Q. Qualis figuræ fuerit monumentum? ℟. Beda & Bonaventura autumant fuiſſe figuræ orbicularis.

B. Orestes miles gloriosus in JESU crucifixi memoriam, auream semper è collo crucem gestabat. Ex hoc signo agnitus, quòd Christi fidem profiteatur: Hinc in candentem craticulam prostratus, & crudelissimè excruciatus, cursum suum consummavit, atque in amplexu crucis, hæc inter verba, feliciter exspiravit: *Domine JESU Christe! in manus tuas commendo spiritum meum.* *In vita,* Vita nostra militia est super terram. Vis esse bonus miles: vide, ut primùm te vincas, & cœlum expugnes, non tam armis quàm precibus & virtute.

Ora pro me S. Orestes, ut si non pro Christo, saltem in Christo piè & sanctè mori concedatur. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, considerabo ultimum verbum Christi, & me in vita & in morte, in manus Domini plenè resignabo.

Benedictus, qui ut nidificare possem in foraminibus petræ, manus, pedes, & latus perforari sibi tulit, & se mihi totum aperuit, ut ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, & protegar in abscondito tabernaculi sui. *Guerr. Ab.*

Q. Quantæ longitudinis fuerit sepulchrum? ℟. Erat pedum octo longitudinis.

B. Archangela Tardera Virgo à Christo crucifixo, & assiduâ Passionis Dominicæ contemplatione nunquam avelli poterat. Admirandis pœnitentiis & mortificationibus corpus afflixit. Plura tamen, ut JESU crucifixo similior foret, pati desideravit: Et certè videbatur DEUS precibus illius annuisse: siquidem per annos sedecim, adeò acerbis doloribus est divexata, ut satis non possit explicari. Hæc tamen omnia, longanimi, & incredibili patientiâ tulit, semper inhærens JESU crucifixo. *Sand.* Nihil nempe nobis frequentius est, quàm pati, nihil proinde magis necessarium est patientiâ.

Ora pro me B. Archangela! ut sciam & ego per dolores, & ærumnas ad illum pervenire locum, ubi nullus est dolor, sed beatitudo perpetua & gaudium sempiternum. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, &c *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, considerabo solem obscuratum & factas tenebras, simulque rogabo suppliciter: Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit.

Hoc inter felicitatem humanam & Christi crucem interest, quòd illa gustata fastiditur: hæc quò plus est pota, majorem sitim accendit. *S. Ignat.*

Q. Quantæ latitudinis fuerit sepulchrum Christi? ℟. Erat sedecim pedum latitudinis.

S. Lucia Ferariensis sub tertia regula S. Dominici, Virgo crucifixo JESU devotissima, atque stigmatibus quinque, prodigiosè insignita. Horum dolorem etsi sentiret continuò, quartâ tamen & sextâ feriâ magis cruciabatur, atque copiosum inde sanguinem emittebat. *Sand.* O quam felices, quibus amore JESU vulnerari, imò & mori est concessum.

Ora pro me S. Lucia, & commenda me in sanctissima vulnera JESU Christi, tibi adeò pretiosa. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, Mater JESU, Regina Martyrum MARIA, me in tuam clientelam suscipe! Vósque omnes Sancti, & Sanctæ DEI, præsertim hodierni, & diei mortis meæ, & Vos, ô beatæ in cœlis animæ, quondam JESU crucifixo peculiariter devotæ, Vos ego, per ardentissimum vestrum erga JESUM crucifixum, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, dum terræ motum considerabo in Christi morte factum, ego quoque meum dolorem pio compassionis affectu testabor.

Plus MARIA dolet Unigenitum suum peccatô offendi ab hominibus, quàm doluerit eundem crucifigi. *S. Ignat.*

Q. Quantæ altitudinis fuerit sepulchrum Christi? ℟. Tantæ erat altitudinis, ut homo extenso brachio vix ejus summitatem attingere potuerit. *Beda.*

S. Nicodemus, qui erat antehac *Princeps Judaeorum*, dein Christi gratiâ factus non tantùm Christianus, sed & confessor, & semimartyr; Hic non verebatur amore Christi JESU impulsus, reprehendere collegas suos Principes, quasi legis & naturæ violatores, eò quòd Christum innocentem ad infamem mortem crucis condemnârint: Imò etiam crucifixum Dominum magnificè sepelivit. Hinc eundem Judæi *à Principatu suo amoverunt, & anathematizârunt, & de civitate exulare jusserunt. Quem, utpote persecutionem pro Christo passum sanctus Gamaliel in sua recepit, & defunctum, honorificè* juxta Divum Proto-Martyrem Stephanum sepelivit. *Lucian.* Sic nempe qui piè volunt vivere in Christo JESU, persecutionem patientur.

S. Nicodeme, intercede pro me, ut anima mea seposito omni hominum timore, fideliter JESU Christo serviat in vita & in morte, in tempore & in æternitate. Et Tu &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, considerabo vetus templi velum scissum esse, & hôc considerato statuam, veterem hominem exuere, veterem consuetudinem rejicere, ut nova sint omnia.

Christianorum populus nec vincere posset, nisi verus David Christus cum baculo, id est, cum crucis mysterio descendisset. *S. Aug.*

Q. Qualis fuerit Janua sepulchri? ℟. Erat janua parvula: unde Joannes post Christi resurrectionem, illi appropinquans, *cum se inclinâsset*, vidit posita linteamina, *Pacc.*

S. Agnellus Abbas, antequam natus, jam à B. Virgine, charissimus MARIÆ filius est declaratus: Matri enim pro prole obtinenda oranti Mariana icon respondit: *Joanna, gignes filium nobis charissimum, cui Agnellus nomen erit.* Vix natus futuræ sanctitatis indicia dedit, nihil illi in amoribus aut pretio erat præter JESUM crucifixum & MARIAM. His totum se omnino devovebat. Hinc fidelem servum suum prophetiæ dono, & miraculis magnificabat JESUS & MARIA. Obsessam Neapolim *S. Crucis vexillo* ab hostibus liberare est visus. *Nad.* Cole & ama semper DEI servos: certa victoria, si veniant in classica Divi.

S. Agnelle, ora pro me immaculatum Agnum DEI, pro peccatis totius mundi in cruce immolatum, ut misereatur mei præsertim in hora mortis meæ. Et Tu cumprimis - - O *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, ex consideratione prodigiosi illius terræ motûs, concludam; quòd nolim posthac hærere in turpi vitiorum cæno defixus & immotus.

Ille, qui figuram Christi gerebat, processit ad prælium, tulit baculum in manu sua, & exiit contra Goliath. Et in illo quidem tunc figuratum est, quod in Domino JESU Christo completum est. *S. Aug.*

Q. Quàm procul dissitum fuerit sepulchrum à loco, in quo crux sancta fuerat plantata? ℟. Pedibus 132. & quidem situm erat in plaga Occidentali Calvariæ montis. *Franc. Quar.*

B. Ludovicus Bertrandus puellam ſceleribus corruptam, ad ſeriam pœnitentiam reduxit. Ægerrimè id tulit Leno quidam impurus: Bertrandum igitur è vivis tollere meditatur: Et ecce! dum ſclopum in virum DEI exonerare intendit, repentè in manu nefarii hominis, bombarda in Crucifixi effigiem mutatur. Quo miraculo impurus Amaſius, & ſacrilegus homicida territus, ex equo deſilit, ad Ludovici pedes ſeſe abjicit, vitæque melioris initia pollicetur. *Lancic.* Quidlibet fieri poteſt ex quolibet, ſi operetur dextera DEI excelſi.

Per tuam interceſſionem B. Ludovice! convertat me hodie DEUS ſalutaris meus, & avertat iram ſuam à me miſero peccatore JESUS crucifixus. Imò ita loquatur mihi hodie Dominus, ut non obdurem cor meum, quia cor durum malè habebit in noviſſimis. Et Tu &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, expendam hodie Chriſtum, caput in cruce inclinantem, & mihi hoc annutu veniam & miſericordiam ſi reſipuero promittentem.

Quid autem inter omnia opera DEI, in quibus humanæ admirationis fatigatur intentio, ita contemplationem mentis noſtræ & oblectat, & ſuperat, ſicut Paſſio Salvatoris? *S. Leo.*

Q. Quomodo in ſepulchro poſitum erat corpus JESU? ℟. Chriſtus Capite Orientem versùs, erat ſepultus. Hinc mos erat etiam apud primos Chriſtianos, ut facies cadaveris, ſemper orientem reſpiceret. *Joan. Damaſ.*

S. Thomæ Apoſtolo, etſi antehac incredulo, vulneribus tamen SSis. JESU crucifixi digitum inferre, manum imponere, benigniſſimè conceditur. Ibidem quaſi in abyſſo amoris abſorptus exclamat Apoſtolus: *Dominus meus, & DEUS meus.* Hæc SS. Vulnera, crucémque Domini ſui, ſemper in animo Thomas circumtulit; inſuper in Indiis, noſtris adhuc temporibus notam crucem erexit, ubi ſæpius illud repetiêrit, *Dominus meus, & DEUS meus. In vita.* Verùm: ubi eſt Dominus tuus, & DEUS tuus? an non ſæpè creaturam præfers Creatori?

Sint & mihi ô S. Thoma Apoſtole, ſemper SS. JESU Chriſti vulnera in ſalutem. Illa me in vera fide confirment, ad ſpem excitent, ad purum ſincerúmque amorem accendant. Et Tu &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, conſiderabo hodie JESUM in cruce morientem, ſimúlque ſalutarem mortis memoriam excitabo: quia & mihi mors certa, hora tamen incerta, modus, locus, ſtatus incertus.

Admiſit in ſe Chriſtus impias manus furentium: quæ dum proprio incumbunt ſceleri, famulatæ ſunt Redemptori: Cujus etiam circa interfectores ſuos tanta erat pietatis affectio, ut de cruce ſupplicans Patri, non ſe vindicari, ſed illis poſtularet agnoſci. *S. Leo.*

Q. Quomodo manus Chriſti fuerint compoſitæ in ſepulchro? ℞. Manus decuſſatæ jacebant, in crucis formam. Ex Sudario Biſontino & ſacra Syndone Taurinenſi eſt manifeſtum.

S. Ephysius Martyr, Sauli instar, ad fidem veram est conversus: Crux Crystallina quam in cœlo conspexerat, illi erat saluti: præsertim, dùm disertam Christi è cruce loquentis vocem audivit: *Ab hac hora vas dilectionis eris mihi.* Ægrotanti se spectabilem denuò stitit Dominus, eúmque sic est affatus: *Pax tibi Ephysi dulcis amice! confortare mecum iterum, ac viriliter age: accipies enim coronam.* Capite plexus, laborum suorum & dolorum, æternam recepit mercedem. *Nad.* Majus miraculum, peccatorem converti, quàm mortuum ad vitam revocari.

Per manus tuas ô S. Martyr, non tantùm manus meas ad benè operandum, sed etiam caput meum in cruentam pro JESU Christo victimam offero. Ora pro me, ut me aptum reddam ad accipiendam aliquando justitiæ coronam. Et Tu cumprimis--O &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, Christi latus lanceâ apertum considerabo: & ex consideratione tam prodigi erga nos amoris, hodie sæpius S. Xaverii verbis alloquar Crucifixum: *Cur igitur non amem te O JESU amantissime?*

Per Passionem Christi mors fuit abolita, maledictum periit, dæmones confusi sunt, ac chirographum cruci affixum. *Chrys.*

Q. An sepulchra Domini in diversis Calvariæ montibus exstructa, referant figuram sepulchri Hierosolymitani? ℞. Quod ita; confirmat id oculatus testis Franc. Quaresm.

S. Ansbertus Episcopus Rothomagensis è sepulchro suo, in locum magis honorificum translatus, non modò cœlesti suavissimi odoris fragrantiâ, sed etiam crucibus binis roseo velut colore, prodigiosè utrique brachio impressis, omnes rapuit in admirationem. Intelligebant inde singuli, Virum sanctum adhuc in mortuo corpore circumferre crucem JESU Christi, quoniam vivens, Crucifixum semper circumferebat in corde. *In vita.* Etiam post mortem non gloriabimur nisi in cruce, si quam tulimus animo patienti.

Per tua merita impetra mihi S. Ansberte, ut amor crucis & JESU crucifixi sit semper mecum in vita, & me tandem etiam comitetur usque in sepulchrum. Et Tu cumprimis-- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, considerabo JESUM è SS. Latere, aquam & sanguinem usque ad ultimam guttam, amore mei effundentem, illúdque crebrò hodie repetam? *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?*

Amor, Dominum gloriæ de throno Majestatis suæ descendere fecit, exspolians JESUM cyclade gloriæ suæ, ut eum convestiat ignominiâ crucis. *S. Bern.*

Q. Quare Christus sepultus fuit extra civitatem? ℟. Quia Judæi solebant cadavera defunctorum extra urbem sepelire, ne contaminarentur.

S. Attalas Abbas, vir miraculis clarus, quadraginta ante mortem diebus à DEO monitus, ut ad æternitatis iter se compararet, angebatur plurimùm, ob imminens severum & tremendum DEI judicium, in quo non tantùm commissa mala, sed etiam omissa bona; imò & ipsæ justitiæ nostræ essent judicandæ. Verùm ad JEsum crucifixum confugit, crucem Domini arctissimo amplexu strinxit, veniam pro delictis petiit, sacris omnibus munitus, spe & fiducia plenus obiit, & abiit in cœlum, quod antehac vidit apertum. *In vita.* Novit Præsul sanctus: quoniam durissimum judicium his, qui præsunt, fiet.

O quàm *accuratè* DEUS omnia examinat! quàm strictè DEUS omnia judicat! Quàm severè DEUS omnia punit! Tu ergo S. Attala ora pro me JEsum Christum, mihique gratiam impetra, ut ita vivam quotidie, agamque omnia, quasi quovis momento ad tremendum DEI judicium evocandus. Et Tu &c. *fol. 1.*

Ad quod impetrandum, rogabo JEsum morientem, ut cum aqua & sanguine, ex sanctissimo Latere profuso, instillet cordi meo sincerum DEI amorem.

Benedicti vos à Patre meo, qui mihi compassi & mecum similiter contribulati, stolas vestras in sanguine meo lavare meruistis. *Ita Christus B. Angelæ.*

Q. Quid actum est sepultô jam Christô? ℟. *Joseph advolvit lapidem ad ostium monumenti.*

HOdie propter nos homines, & propter nostram salutem Unigenitus DEI filius, verus Homo-DEUS, JESUS Christus, ex MARIA Virgine natus est in stabulo, qui pro nobis deinde affigendus erat in patibulo. Hodie in Bethlehem vitam auspicatus est JESUS inter Angelos plaudentes, qui deinde moriturus erat in cruce inter Latrones. Hodie congaudemus nato, cui universa natura compassa est Crucifixo; Solem hunc divinum adoremus in Bethlehem Orientem, & in monte Calvariæ Occidentem. Hic siquidem est Filius dilectus, in quo sibi Pater æternus complacuit.

O dulcis JESULE, in parvo corpore magne DEUS! per sanctam nativitatem tuam, supplex te rogo & obtestor, ut quemadmodum me æternâ dilectione tuâ prævenisti nascentem, ita me ab omni malo, & à morte æterna protege morientem. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, satagam ita vivere, ut mihi dies mortis sit beata dies felicioris vitæ & gloriosæ in cœlo nativitatis.

Benedicti estis, qui, ut mihi pro vobis Crucifixo & immensis doloribus afflicto compateremini, digni inventi estis. *Ita Christus B. Angel.*

Q. Quid egerunt Principes Sacerdotum sepultô jam Domino? ℟. Accesserunt Pilatum & petierunt, ut juberet custodiri sepulchrum usque in tertium diem.

S. Stephanus plenus gratiâ & fortitudine, plenus fide & Spiritu Sancto prædicabat palàm ubique JESUM crucifixum. Quare Judæi dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum, & ejicientes eum extra civitatem, lapidabant Stephanum, invocantem & dicentem: Domine JESU! suscipe Spiritum meum. Mox sui in cruce Magistri exemplum secutus, voce magnâ clamavit dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum, sicque mortem quam Salvator noster dignatus est pro nobis pati, hanc ille primus reddidit Salvatori. *In vita.* Nunquam meliùs vindicatur injuria, quàm si in bono vincas malum.

Tribue nobis quæsumus Domine, ut B. Levita Stephanus, pro nobis, præsertim in hora mortis intercessor existat, qui pro suis etiam persecutoribus exoravit Dominum nostrum JESUM Christum filium tuum. Et Tu &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, supplex petam hodie, ut JESUS crucifixus sit Magister meus, méque doceat, & fortia agere, & dura pati.

Christus caput Martyrum, prior passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus: Cujus Passionis vestigia prosecutus, Beatissimus Stephanus, confitendo Christum lapidatus à Judæis. *S. Aug.*

Q. Quare Pharisæi petebant, ut *custodiretur* sepulchrum? R. Ne fortè *veniant Discipuli Christi, & furentur eum, & dicant plebi: surrexit à mortuis.*

S. Joannes Apoſtolus & Evangeliſta, non tantùm in montem Thabor, ſed etiam fugientibus aliis diſcipulis, in ipſum Calvariæ montem ſecutus eſt JESUM; Hic ſupra pectus Domini in cœna recubuit, & fluenta Evangelii de ipſo ſacro Dominici pectoris fonte potavit. Hic ob ſpecialem prærogativam caſtitatis, tantâ erat dignus dilectione, ut etiam Chriſtus in cruce moriturus, eidem Matrem ſuam, Virginem nempe Virgini commendaret. Hic audivit JESUM docentem, vidit patientem, & in cruce morientem. *In vita.* Dilectus JESU Chriſto, & filius MARIÆ facilè eſſe potes, ſi modo virgineus ſis Joannes.

Per interceſſionem S. Joannis Apoſtoli tui, da nobis JESU crucifixe! veræ fidei, ſpei, & charitatis augmentum, atque ut mereamur aſſequi, quod promittis, fac nos amare, quod præcipis. Et Tu cumprimis -- O *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, omnem etiam impuritatis umbram fugiam, ut ſim & maneam dilectus JESU crucifixi diſcipulus, & charus filius MARIÆ.

Securum acceſſum habet homo ad DEUM, ubi Mediatorem cauſæ ſuæ Filium habet ante Patrem, & ante Filium Matrem: Chriſtus Patri oſtendit latus & vulnera; Mater Chriſto pectus & ubera. *Arnol.*

Q. Quare *in* 3. *diem* cuſtodiri ſepulchrum deſiderabant Phariſæi? ℟. Quia recordabantur Chriſtum dixiſſe: *poſt tres dies reſurgam.*

XXVIII. DE-

FEstum Sanctorum Innocentium hodie celebrat Ecclesia, qui simul & vivere & mori cœperunt: vix ingressi mundum, sunt egressi. Vix hauserant hujus vitæ mortalis auram, mox transierunt ad immortalitatem; nondum egressi infantiæ cunas, jam perveniunt ad coronas. Non erat quidem his infantibus ætas ad credendum Christum pro ipsis moriturum, sed erat caro illis ad patiendum, sustinendúmque mortem pro Christo, qui pro ipsis erat passurus. Scilicet agnelli debebant immolari, quia Agnus erat in cruce immolandus, qui tollit peccata mundi. Ita sentit *Aug. & Chrys.*

O Innocentissime JESU! quem innocentes Martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt, omnia in nobis vitiorum mala mortifica, ut fidem tuam, quam lingua nostra loquitur, etiam usque ad mortem, moribus vita nostra fateatur. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, amaritudine, & doloribus plena, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, peculiariter hodie JEsu crucifixo, innocentes animas commendabo, ne incidant in manus impiorum.

Non solum procurabo convulnerari vulneribus, sed etiam uberibus allactari, & miscebo Lac Matris cum sanguine filii, ut mihi faciam unam dulcissimam potionem. *S. Bonav.*

Q. Quid autem respondit Pilatus? ℟. Ajebat illis: *Habetis custodiam, ite, custodite, sicut scitis.*

S. Thomas Archi-Episcopus Cantuariensis propter defensam Jurisdictionem Ecclesiasticam, ab Henrico Rege passus est plurima. Facto missæ sacrificio, cùm gratias ageret coram Crucifixo, seque in sacrificium cruentum DEO offerret, hasi Christo voces audivit: *Ego sum Frater & Salvator tuus, qui Ecclesiam meam illustrabo sanguine tuo.* A Sicariis ad mortem quæsitus, obviam iisdem processit dicens: *Ecce adsum. Paratus sum pro illo mori, qui me redemit sanguine suo.* Sicariorum primus, suas sibimet carnes, propriâ manu dilaniavit, alii duo in maniam inciderunt. *In vita.* Nempe Altissimus est patiens redditor. Justum & impium judicabit DEUS. Usque ad mortem certa pro justitia, & DEUS expugnabit pro te inimicos tuos. *Eccl.*

S. Thoma! qui pro nomine JESU & defensione Ecclesiæ, gloriosam mortem subiisti, impetra mihi, ut non aliter, quàm sicut verum S. Matris Ecclesiæ filium decet, vivere desiderem, nec aliter cupiam mori. Et Tu &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, conferam me hodie piâ saltem cogitatione & affectu ad sepulchrum Domini, ibique petam vivæ fidei incrementum.

Positus in medio, quò me vertam nescio! Hinc pascor à vulnere, hinc lactor ab ubere. *S. Aug.*

Q. Quid audito Pilati responso egerunt Pharisæi? ℟. Abierunt & munierunt sepulchrum signantes lapidem cum custodibus.

S. Genesius M. primùm erat Mimus, cùm verò in Theatro spectante Diocletiano Imperatore, cæremoniis Christianorum illuderet, repentè conversus ad fidem, baptizatus est. Mox Imperatoris jussu crudelissimè cæsus, equuleo, ungulis ferreis, flammâ & igne excruciatus, fidelis Christo, in finem usque perseveravit, dicens: *Non est Rex præter Christum JESUM, pro quo, si millies occidar, ipsum mihi de ore, ipsum mihi de corde auferre non poteritis. In vita.* Quis non admiretur inscrutabilia DEI judicia? Quis non obstupescat divinæ misericordiæ abyssum?

O JESU crucifixe! qui abundantiâ pietatis tuæ, & merita supplicum excedis & vota: Annue precibus S. Genesii, & effunde super nos misericordiam tuam, ut à peccatorum nostrorum nexibus, quæ pro nostra fragilitate contraximus, tuâ benignitate liberemur. Et Tu cumprimis - - O piissima Virgo, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, exquisitas contritionis formulas sæpius repetam coram Crucifixo.

Vide! ne hic sanguis incassum pro te sit effusus. Ita Christus Joannem Magirum, dein religionem ingressum monuit.

Q. Quare Isaias Propheta dixit: *Erit sepulchrum ejus gloriosum?* ℞. Partim ob sanctissimum Domini corpus ibidem sepultum, partim ob fidelium affluxum, per omnia sæcula continuandum.

S. Melania, ut suæ erga JESUM crucifixum pietati satisfaceret, Hierosolymam peregrinata est, eaque loca, quæ Christus suâ vitâ & morte consecraverat, visitavit. In Oliveti monte domunculam exstruxit, ibique quatuordecim annis inclusa habitavit, & profusis ubertim lacrymis, Domini sui crucifixi pedes assiduè rigavit. *In vita.* Quàm pretiosæ sunt tales lacrymæ!

Per manus tuas, ô S. Melania, offero hodie omnia totius vitæ meæ momenta, omne jota & apicem JESU crucifixo. Impetra mihi S. Matrona! ut gaudium cum pace, emendationem vitæ, spatium veræ pœnitentiæ, gloriam & consolationem Sancti Spiritûs, perseverantiam in bonis operibus, tribuat nobis Omnipotens & misericors Dominus. Et Tu cumprimis -- O piissima Virgo, &c. *fol.* 1.

Ad quod impetrandum, dicam hodie: *Te DEUM laudamus, &c.*

Hoc sanguine de meo corde sumpto, dedico me tibi ô JESU crucifixe in sponsam perpetuam. *Ven. Margar. Austriaca.*

Q. Quinam ex Religiosis curam gerunt Dominici sepulchri? ℟. RR. PP. Franciscani, inter mille ærumnas, & sexcenta vitæ mortisque discrimina, velut Angeli DEI, die noctùque excubantes, Sanctissimum Domini Sepulchrum custodiunt per annos ferè quadringentos.

O. A. M. D. G. J. C. & B. V. H.

R.P. ANTONII GAUDIER SOC. JES.

Orationes in memoriam ſeptem Effuſionum Sanguinis Chriſti Domini.

DIE DOMINICA.

In memoriam primæ effuſionis Sanguinis D. N. JEſu Chriſti, adversùs peccatum luxuriæ pro obtinenda cordis munditia & puritate.

Oratio.

JESU Benigniſſime, tibi confiteor, téque laudo, qui propter nos omnem miſeriam, & ærumnas noſtræ naturæ absque peccato ſuſcipiens homo factus, mox ubi mundum ingreſſus es, divinæ legi te voluiſti ſubjicere, circumcidíque, & ſanguinem pro nobis fundere, pro hac charitate, & bonitate tua, & pro hac quoque Sanguinis effuſione te adoro, te benedico, tibíque gratias ago, & per eandem tui Sanguinis effuſionem te obſecro, ut omnem luxuriæ ſpeciem, de corde meo, & de carne mea penitùs auferas; ut concupiſcentiam in me carnalem radicitùs mortifices, & extinguas: ut in puritate, in mentis caſtiſſima ſimplicitate, & in vera munditia cordis, ut denique in pudiciſſima corporis caſtitate perpetuò tibi inavertibilitérque adhæream.

Ah! miſericordiſſime JESU, utinam in hac effuſione Sanguinis tui merear ab omnibus peccatis, vitiis, & negligentiis meis nunc expiari: quo ex tua miſericordia, & gratia, perceptione Sacroſancti Corporis & Sanguinis tui dignus efficiar.

FERIA II.

In memoriam ſecundæ effuſionis in monte Oliveti, adversùs peccatum ſuperbiæ, pro obtinenda virtute humilitatis.

Oratio.

JESU benigniſſime, Deus meus, adoro, laudo, benedico te, & gratias tibi ago pro anguſtia preſſuráque cordis tui, quam in monte Oliveti inter orandum pertuliſti, præmeditans acerbiſſimas horrendáſque Paſſionis ac mortis tuæ pœnas, & cruciatus tunc tibi imminentes, quos juxta naturam, ſenſualitatémque exhorruiſti, rurſúſque ſecundùm rationem tanto easdem redimendi nos deſideriô concupíſti, ut contrariis his deſideriis ſimul compugnantibus, téque in agone intereà conſtituto, ſudor ex te decurreret ſanguineus. In hac, quæſo, Chriſte JESU, anguſtia tua, per hanc quoque effuſionem ſanguinei ſudoris tui ex te abundè promanantis, obſecro te, ut omnem ſuperbiam omnéſque ſuperbiæ ſpecies in me conteras, extermines, ac deleas; infunde mihi, quæſo, profundiſſimam, perfectiſſimámque humilitatem, qua peccata mea ingratitudinémque meam perfectè cognoſcam, odiam, indeſinenter lugeam, me ipſum quoque contemnam, atque ab omnibus contemni diligam.

Ah! miſericordiſſime JEſu &c. ut ſuprà.

FERIA III.

In memoriam tertiæ effuſionis Sanguinis factæ in flagellatione, adversùs peccatum iræ pro obtinenda virtute manſuetudinis.

Oratio.

JESU benigniſſime, DEUS meus, pro dira flagellatione, tenerrimi, nobiliſſimíque corporis tui undique vulnerati, & pro effuſione pretioſiſſimi ſanguinis tui, adoro, & benedico te, gratiáſque tibi ago. Compeſce, & extingue in me omnes iracundiæ, impatientiæque motus, nullum ſinas, pi

JESU

JESU, in cor meum intrare, aut morari ibi ranco-
rem, amaritudinem, seu displicentiam. Infunde
mihi, quæso, perfectissimam humilitatem, ac
mansuetudinem cordis, quâ cuncta adversa æqua-
nimiter suscipiam, patientissimè, & cum gratiarum
actione tolerem, ac me totum tibi resignem, ple-
nè ac funditùs relinquam.

Ah! misericordissime JEsu &c. ut suprà.

FERIA IV.

In memoriam quartæ effusionis sanguinis factæ in coronatione spinea adversus peccatum Acediæ pro obtinendo fervore. *Oratio.*

JESU benignissime, DEUS meus, pro acerbissi-
ma coronatione spinarum caput tuum compun-
gentium, próque largissima effusione rivulorum
sanguinis tui per genas, oculos, & collum tuum
defluentium, adoro, laudo, & benedico te, gra-
tiásque tibi ago, suppliciter te rogans, ut omnem
acediam, torporem, pigritiam, negligentiámque
à me radicitùs tollas, devotionem verò ferventissi-
mam alacritatémque Spiritus in tuo maximè servitio
mihi infundas; ut justitiam, virtutem, animarum
salutem, tui quoque amorem, honorem, ac glo-
riam tuam, cor meum vehementer esuriat, arden-
tissiméque sitiat, adeò ut, quæ extra te sunt, cun-
cta fastidiam, Tu verò totus perfectissimè, ac perpe-
tuò mihi placeas in omnibus, ac super omnia.

Ah! misericordissime JEsu &c. ut suprà.

FERIA V.

In memoriam quintæ effusionis sanguinis factæ in exspoliatione vestium, adversus peccatum avaritiæ, pro obtinendo amore paupertatis.

Oratio.

JESU benigniſſime, DEUS meus, pro veſtium tuarum extractione, pro corporis tui denudatione in oculis hoſtium tuorum, pro tui deriſione, pro vulnerum dolorúmque renovatione, pro ſanguinis nobiliſſimi effuſione, & conculcatione, adoro, laudo, & benedico te, ac gratias tibi ago; te obſecrans per miſericordiam tuam, ut mundi amore, & omni amore creaturarum, privatóque aut abs te alieno me exuas, prorsúsque liberum facias, quo paupertatem, contemptum, & ſimplicitatem ex animo diligam, deſideratiſſiméque ferar ad cœleſtia bona, te verò ſuper omnia æſtuantiſſimis deſideriis concupiſcam.

Ah! miſericordiſſime JEſu &c. ut ſuprà.

FERIA VI.

In memoriam ſextæ effuſionis ſanguinis D.N. factæ in perforatione manuum, & pedum adverſus peccatum Gulæ ad obtinendam virtutem temperantiæ.

Oratio.

JESU Benigniſſime, DEUS meus, pro extenſione membrorum tuorum omnium in cruce, pro perfoſſione, crucifixionéque manuum tuarum, ac pedum, pro largiſſima effuſione tui ſanguinis decurrentis è tuis vulneribus, per diutinam cruci-pendentiam ampliatis, quo crucem rigabas & terram; adoro, laudo, benedico te, & gratias tibi ago, obſecróque, ut me ab omni intemperantia, & in diſcretione ſobrium, & continentem facias, piiſſime DEUS, cor pacificum, mitiſſimum, ac benigniſſimum mihi præbeas, quod pacem diligat, paci ſtudeat, foveat concordiam, ſchiſmata & ſcandala tollat, & ad unionem amoris illam feliciſſimam, quâ tecum unum efficimur, quâ unus

amor,

eſtium
datio-
e, pro
guinis
; lau-
obſe-
re, &
te aſi-
pau-
ani-
leſtia
deriis

factæ
ecca-
æ.

nſio-
pro
, ac
cur-
den-
ad-
ob-
diſ-
ſime
gniſ-
gat,
ma-
laræ
nus
aor,

Q.
[illegible]
No 7